

De verbis latinæ linguae auxiliaribus.

Pars II.

Quod in exitu eius opusculi, quod decem abhinc annis ad celebranda edidi gymnasii nostri solemnia anniversaria, facturum me esse professus sum, ut in altera disputationis parte de dandi vocabulo cum consimilibus, et modificationis, quae dicuntur, verbis fusius expōnerem, nunc faciendi oblata est occasio.

De dandi verbo primum hoc tenendum est, eorum exemplorum, quae hic pertineant, multo maiorem copiam apud poetas reperiri eosque scriptores, qui, sive aureae sunt, quae vocatur, aetatis, sive argenteae, ad poeticam dictionem accedere maluerint, quam apud oratores sobrie scribentes, qui iis tantummodo uti non dubitaverunt, quae dicendi consuetudo vulgariter, faciendi verbo multo saepius adhibito. Quae quidem verba quanta inter se ipsa natura iuncta sint societate apparet, quum, ubi dederis de tuo alteri, efficias, ut ille accipiat vel possideat vel quolibet modo eo uti possit, sive cum commodo suo sive cum incommodo, quae cum tuo aut fructu aut detimento coniuncta esse possunt. Sic dare viam alicui est facere, ut alteri licet progredi, dare malum alicui est sibi ita satisfacere, ut miser sit alter; denique dare poenas alicui est facere, ut alteri satis fiat.

Ac primum quidem eae prodeant formulae, quae verbum illud cum substantivi nominis accusativo copulatum simplicis verbi, sive usu est tritum sive aliunde arcessendum, notionem repraesentare demonstrant.

Amplexum vel complexum dare, poetis non insuetum. Cum dabit amplexus Virg. Aen. I, 687. Ovid. Met. II, 627. IV, 596. IX, 559. XI, 459. Illi complexus Iphigenia dedit Ovid. Trist. IV, 4. 80. Met. III, 286. X, 388.

Caliginem dare Livius dixit XXXVII, 41. nebula matutina caliginem dedit i. e. efficit. Caedem dare nemo, quod sciam, scripsit: sed edere caedem vel Livio usitatissimum V. 13. 21. 45. multisqne aliis locis.

Cladem dare mirifice de accipienda clade usurpavit Lucr. V, 348. darent late cladem magnasque ruinas : quamquam eo excusationem habet, quod ruinam et ruinas dare saepius de corridentibus rebus dicuntur.

Colores dare ad visum pertinens, quemadmodum sonitum dare ad auditum: Virg.
Aen. XII, 69. tales virgo dabat ore colores. Alia est res Ovid. Met. VIII, 466. oculis dabat
ira ruborem.

Cruorem dare i. e. fundere Ovid. Met. XIV, 529. multum cruxis datur. Simillimum est XV, 423. potuit tantum dare sanguinis.

Cuneum dare, quod alii cuneum facere dixerunt, Virgilius ausus est Aen. XII, 575
dant cuneum et ad muros feruntur.

Cursum dare, currere Virg. Aen. X, 870. cursum dedit in medios. Verum Ovid. Met.
VIII, 3. placidi Austri dant cursum, aliter est accipiendum.

Damnum dare quamquam in utramque partem potest accipi (et *βλάπτειν* et *βλάπτεσθαι*), tamen Kreösius in Antib. p. 268. transitivam potestatem vetustioris tantum latinitatis esse dixit, paruitque Freundius in Lex., ex Catone Plauto Terentioque exemplis adhibitis. Plautinis locis addendus est Men. II, l. 42. ne mihi damnum in Epidamno duis. Passivae significationis nullum repperi documentum. De facere damnum formula in superiore disputatio egimus p. 8. Hoc loco non possum, quin insignis iniuriae (ut lenissimo nomine appellem) mentionem faciam, quam Allgayerus in additamentis ad Antiharbarum Ehingae 1846. editis p. 12. Krebsio fecit: namque formulam illam, quam Krebsius recte optimis latinitatis auctoribus abiudicat, novies in iis legi ait, quae de Ciceronis oratione pro Scauro supersint. Quae res quam mihi permira esse videretur, Orellium ipse inspexi (Vol. II, 2. p. 258.—270.) et ne vestigium quidem inveni. Nescio quae hominem intemperiae tenuerint.

Discessum dare, discedere Lucr. IV, 45. quum corpus simul atque animi natura perempta. In sua discessum dederunt primordia quaeque. De quo controversiam movet Lachmannus discessum aliter dari posse negans, quam quomodo fugam dari Virgilius Aen. VII, 24. dixerit i. e. concedi, idemque cursum dari vel naviganti vel equo Aen. III, 337. X, 870. Ego de superiore loco assentior, de posteriore, quem paulo supra attigī, nullo modo: multaque iam afferentur, quibus, quam non opus sit ingeniosa Lachmanni coniectura, apparebit: velut dare pausam παύεσθαι, dare saltum ὑλλεσθαι.

Documentum dare, quod male reddunt novitia formula exemplum statuere, Plaut. Capt. III, 5. 94. (perperam in Freundii Lex. est 49.) ego captivis documentum dabo, ne tale quisquam facinus incipere audeat. Habet scriptorum optimus quisque. Simillimum est Ovid. Met. V, 227. mansura dabo monumenta per aevum.

Experimentum dare i. e. experiri Tac. Ann. XIII, 24. XV, 24.; πεῖσαι σφῶν αὐτῶν δεσμώτες Liban. Tom. II, p. 426.; Thucydideum πεῖσαι διδόναι I, 138. est dare signum ingenii sui.

Facinus dare equidem non legi, sed edere facinus Liv. X, 20. memorandum edidere facinus. Fagere f. multa frequentius.

Fetus dare i. e. procreare Virg. Georg. II, 442. dant alios aliae fetus. Tibull. II, 5. 91.
Item problem dare Virg. Aen. I, 278. de Hila partum edente.

Fidem dare, si quis promissis se statum esse confirmat, optimo cuique scriptori usitatum. De facienda fide Ovid. Fast. II, 20. nunc quoque dant (verleihen) verbo plurima signa fidem.

Finem dare i. e. finire Lucr. V, 384. longi certaminis posse dari finem. Virg. Aen. VI, 76. finem dedit ore loquendi. Facere f. multo usitatis.

Flammas dare Ovid. Trist. I, 8. 4. unda dabit (i. e. edet) flammas et dabit ignis aquas.

Fraudem dare i. e. fraudare Lucr. II. 187. ne tibi dent flammorum corpora fraudem.

Frustraciones dare Plaut. Most. V, 2. 30. optimas frustrations dederis in comoediis.

Locus est difficilior; posset enim sic accipi, quemadmodum eodem auctore magnus ipse Deum

rex in familiam Amphitruonis maximum inecturus est frustrationem. (Amph. III, 1, 15.).

nisi additum esset in comoediis. Ita vix aliud quidquam significari potest, nisi hoc, in

scena, siueum opus sit, misere circumductum illum senem bardum hominem atque stupidum optime acturum esse: „du wirst den grössten Dummkopf zu schauen geben.“ Conferri iubeo

metastasis siue commutare Herm. ad Soph. Antig. 718.

Fumum dare, fumare Ovid. Fast. I, 316. ara dabat famos.
 Gaudium dare, τέρπειν Plaut. Curc. I, 2. 10. dū vicissim meo gātturi gādium.
 Ictus dare et edere, Livianum utrumque XXXV, 35. multis frustra in loricam ietibus
 datis. XXXVIII, 5. ictus moenium (ariete percussorum) cum terribili sonitu editos.

Impetum dare, id quod impetum facere, quod multo tritus est Liv. IV, 28. Fabius
 cum equitatu impetum dederat et consul eruptionem fecerat, variandae, opinor, orationis
 causa. Quamquam non exiguis est apud eundem scriptorem locorum numerus II, 19. Aebu-
 tius in Octavium impetum dederat. II, 51. III, 5. V, 38. IX, 43. X, 41. XXXVII, 24. Imita-
 tatus est Tac. Ann. II, 20.

Impressionem dare, invadere Liv. IV, 28. haec locutum secuti dant impressionem,
 ἄποστος, nisi fallor, λεγόμενον: reliquis locis faciendi verbo scriptores usi sunt.

Incendium dare i. e. efficere Liv. X, 24. ita ut (ignis) toties novum incendium daret.

Indicia dare Liv. XXXVII, 10. neque enim eum commissurum fuisse, ut adversus semet
 ipsum indicia daret.

Insidias dare, insidiari, Plauto placuit Aulul. IV, 5. 2. quam nō ego illi dēm hodie
 insidiās seni. (In primo versu scribendum est emortuum, non emortuus). Casin. II,
 7. 13. hinc (non hic) ex insidiis hisce ego insidias dabo. Bacch. II, 3. 52. Mil. II, 3. 32.
 Pseud. II, 1. 19. IV, 8. 2. et 8. Quae pro dandi verbo alii scriptores substituerint, Lexi-
 corum conditores docuerunt, facere et locare insidias Plautus quoque dixit Bacch. V, 2. 88.
 Rud. II, 5. 17.

Locos dare, quod ioca agere, agitare ab aliis dicitur, Hadrianus poetae licere sibi pu-
 tavit, qui apud Spartan. 25. nec, ut soles, dabis iocos.

Iter dare v. viam dare.

Iusinrandum dare, iurare, quod ab antiquis acceptum (Plaut. Amph. III, 2. 50. et 55.)
 optimi scriptores receperunt.

Labem dare, labi Lucr. II, 1146. moenia mundi dabunt labem putresque ruinas, quod
 eodem argumento excusari potest, quo illud, quod supra commemoravi, cladem dare.

Lacrimas dare Virg. Aen. IV, 370. num lacrimas victus dedit? IX, 292. Dardanidae
 dedere lacrimas. Ovid. Met. XI, 669. surge age, da lacrimas; dativoque adiecto, quo plus va-
 leat dandi notio Ovid. Met. IV, 117. dedit lacrimas, dedit oscula vesti. XI, 720. ignoto la-
 crimas daret.

Locum dare (v. viam dare) dupliciter dicitur, prout aut proprie via, regio aliudve loci
 spatium significatur, aut ad occasionis notionem locus transfertur. Illud si est, simplicis verbi
 cedere vicibus saepissime fungitur (locum dare et cedere Cic. Nat. D, II, 33.), nonnunquam
 idem est, quod constituere, ponere in loco. Ovid. Epist. I, 1. 47. locum date sacra fe-
 renti. id. Fast. V, 420. Met. VIII, 673. — Ovid. Epist. IV, 14. 58. erranti tutum quae dedit
 locum. — Ad occasionem transtulit Liv. XXVII, 42. ne locum pugnandi daret, itemque optimi
 scriptores. Similia sunt, quae cum brevitate quadam dicuntur, transitum dare i. e. locum
 dare ad transeundum Liv. XXVI, 6. adscensum dare Caes. bell. G. VII, 85. Tac. Ann.
 II, 33. Graecum διδόναι εἰλεγχον, refellendi potestatem facere v. Stallb. ad Plat. Gorg. p. 474. B.
 Ceterum occasionem et facultatem dari, potestatem nō dari, sed fieri copiam et
 dari et fieri solere (quamquam Caes. b. civ. II, 33. quum primum sit data potestas), notis-
 sum est.

Ludum dare, indulgere v. Taubm. ad Plaut. Casin. prol. 25. Bacch. IV, 10. 7. ego
 dare me ludum meo gnato institui.

Malum dare alicui et malam rem dare Comicis placuit. Notum est vetus illud:
 malum dabunt Metelli Naevio poetae. Hinc Plaut. Amph. II, 1. 13. malūm, quod tibi di-
 dabunt atque ego hōdie Dabo. Men. III, 4. 58. Terent. Eun. III, 3. 2. Andr. I, 4. 115. II, 5. 20.

1*

Plaut. Bacch. V, 2. 23. haec oves malam rem magnam vobis dabunt; aliique poetae, Tibull. II, 5. 108. ut ipse Cicero non dubitaverit scribere quid mali datis? Nat. D. I, 44. was richtet ihr für Schaden an? Consimile est servitium alicui dare Tibull. II, 4. 3. et Homericum πάρος τοι δάίμονα (letum) δώσω Iliad. VIII, 166. cuius quasi interpretamentum est, quod Zenodus (δάίμονα δώσω formulam suspectam habens) in locum eius substituere voluit πάρος τοι πότιμον ἔργων.

Motus dare περιθέστον est, modo enim τὸν κυροῦντα significat, cui opponitur, qui accipit motus, modo τὸν κυρούμενον. Utriusque rei Lucretius auctor I, 819. 909. II, 762. 885. 1009. — I, 1022. II, 311. V, 422. 446. Postea vero consuetudo ita tenuit, ut qui movebatur tantum motus dare diceretur, Ovid. Met. V, 629. nulloisque audet dare corpore motus. Virg. Georg. I, 350. det motus incompositos et carmina dicat, quibuscum congraunt Liviana VII, 2. Iudiones haud indecoros motus dabant, et XLIV, 9. quum alios edidissent motus. Pro eo ciere motus est apud Cic. Nat. D. II, 32.

Nidorem dare Virg. Aen. XII, 301. barba nidorem ambusta dedit; cui comparari potest Euripideum παρφαές σέλας πνῷδες μέλαινας αἴγλαντες Troad. 553.

Obiectum dare, obiicere Lucr. IV, 848. ante quam daret obiectum parmai laeva (manus) per artem.

Partum dare, procreare Ovid. Fast. I, 623. neve daret partus; sed multo est frequenter edere partum Liv. I, 4. Rhea cum geminum partum edidisset. Ovid. Fast. IV, 647. pecus partus edebat acerbos. V, 35. terra feros partus, Gigantas, edidit. Etiam edere aliquid partu Ovid. Fast. V, 26. partu est edita (V, 171. hunc maturis nisibus Aethra edidit), unde natum hominem editum poetae appellant.

Pausam dare, παύεσθαι Lucr. II, 119. videbis, corpora proelia edere, nec dare pausam nec secus Lucilius et Attius (v. Freund. Lex.), quibus adversatur Ennii versus apud Macrob. VI, 2. Neptunus saevus undis asperis pausam dedit, ἐπανυσε κύματα, quemadmodum proximo versu Sol dicitur equis repressisse iter.

Plausum dare, plaudere Virg. Aen. V, 215. columba plausum dat alis ingentem, et apud Plautum in exitu fabularum solenne (Asinariae, Captivorum, Cistellariae, Mostellariae, Rudentis), unde ad Ciceronem etiam manavit de Senect. 18. quibus cum plausus datus esset. Terentius simplici verbo usus est.

Poenas dare alicui etsi recte is dici posset, qui poenas imperat, tamen nunquam hoc factum esse mirabile est; semper enim ὁ τίνων δίκην poenas dare dicitur. Nec minus illud est memorabile, quod consuetudo ita tenuit, ut plurative semper, nunquam poenam dare diceretur, quemadmodum gratias vel grates agere, gratiam referre (gratias referre Plaut. Amph. I, 1. 27.). Nec audiendus est Habichtius, qui Synon. 491. eo consilio gratias, non gratiam, agi existimat, ut cumulus quidam gratiarum significetur: in quibus nos consuetudinem fuisse dicendi moderatricem credamus, non rationem. Atque ut πλῆθυντικῶς tantum Latini loquebantur poenas dare, ita in consimilibus formulis pluralis numeri multo umerior est copia, quam singularis. Dixerit aliquis, singulari opus esse, ubi certa quaedam intelligatur poena, habeatque ille, quibus nitatur, velut Ovid. Trist. I, 2. 63. si, quam promerni poenam, me pendere vultis; id. Met. III, 625. exilium dira poenam pro caede luebat; X, 232. exilio poenam pendat; id. Trist. IV, 6. 26. passuros poenam (exilium), sed plurima sunt, quibus opinio illa redarguatur, ut Ovid. Fast. III, 845. capit is pendere poenas; Met. II, 834. has poenas cepit Atlantiades: nec dubitavit Livius eodem capite scribere: quia tempus expetendae poenae videbatur venisse, et expetendas poenas esse. Restat, ut vicarias formulas percenseam: pendere, dependere, expendere, solvere, exsolvere, persolvere, reddere, luere, explere, sufferre poenas (δίκην τίνειν Soph. Eletr. 298. διδόναι ibid. 538. ὑπέχειν Lucian. Catapl. 29.); contra, qui ulciscuntur, sumunt (λαυβάρονται Lucian. Catapl. 26.), recipiunt, re-

petunt, expetunt, persequuntur poenas ab inimico. Plane singulari modo Ovidius, quod alii dixissent magnae poenae solventur pro iniuria, ita invertit: magnis iniuria poenis solvitur Fast. V, 303. sed satis hoc quoque solvendi notione est excusatum.

Prolem dare id quod partum dare, de quo iam vidimus, Virg. Aen. I, 274. Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.

Pugnas et proelia dare Plaut. Pseud. I, 5. 111. dabo aliam pugnam claram. Terent. Eun. V, 2. 60. dabit hic pugnam aliquam denuo. Virg. Georg. III, 265. dant proelia cervi. Verum edere a prosa oratione non alienum, Cic. ad Attic. I, 16. I. quas ego pugnas et quantas strages edidi; adamavit vero Livius XXXI, 37. atrocissimum proelium edere. XXXV, 29. modico edito proelio. XXXVIII, 22. tale proelium ediderit. XXXVIII, 7. occultam ediderunt pugnam. Coniunxit utrumque Lucr. II, 119. videbis corpora proelia pugnas edere, ἀσύρδετως, quod recte Lachmanno placuit. Daretur pugna Tac. Ann. II, 13. occasionem pugnae significat.

Responsum dare etsi ad participia reiici possit, tamen hoc loco praecipere satius duxi. Cuius formulae et apud poetas et apud oratores larga exstat copia, modo de oraculis sortibusque, modo de hominibus inter se confabulantibus.

Ruinas dare, et ruinam. Cui etsi Lucretius olim transitivam praecipitandi potestatem tribuerat (V, 1328. apri permixtas dabant equitum peditumque ruinas), quem secutus est Virgilius Aen. XII, 453. nimbus dat ruinas arboreis stragemque satis; et ipse tamen Lucretius intransitiva vi usus est (VI, 802. fit, uti des saepe ruinas; II, 1146. dare labem et ruinas; V, 348. dare cladem et ruinas), et a Virgilio pluribus locis receptum est: Aen. II, 310. iam Deiphobi domus dedit ruinam; XI, 614. primique ruinam dant sonitu ingenti. Cuius loco trahere ruinam saepius apud eundem legitur: Aen. II, 465. 631. VIII, 192. IX, 712. De facere ruinam formula v. superioris disputationis p. 9.

Saltum dare Virg. Aen. XII, 681. e curru saltum dedit i. e. desiluit. Ovid. Met. II, 165. dat in aera saltus; III, 599. doque leves saltus; 683. undique dant saltus; IV, 552. saltum datura moveri non potuit; XI, 524. fluctus dat saltus intra cava texta carinae. (II, 314. saltu facto). Fast. I, 507. neve daret saltum.

Salutem dare, si quis salvere iubet alterum, Plaut. Epid. IV, 2. 2. venienti des salutem atque osculum. Liv. III, 26. salute data redditaque, et saepius.

Sensum dare etwas fühlen lassen Lucr. IV, 265. tanquam aliquae res verberet atque sui det sensum corporis.

Silentium dare, tacere, ita tamen, ut concedendi vis non evanescat Liv. VII, 40. ei cognito silentium datum. Terent. Hec. prol. 47. mea causa causam accipite et date silentium.

Spatium dare et ad locum et ad tempus relatum: v. Muett. ad Curt. p. 7.

Specimen dare i. e. efficere ut conspiaciatur Virg. Georg. II, 241. tale dabit specimen; Lucr. V, 187. dedit specimen natura creandi i. e. proposuit exemplum. Cui formulae (et edere specimen) ad optimos scriptores aditus patuit.

Stragem dare et edere, poetarum potius illud, hoc cum alii scriptores, tum Livius saepissime usus est Lucr. I, 289. amnis dat sonitu magno stragem i. e. prosternit, quidquid obiicitur. Virg. Georg. III, 247. 556. Aen. XI, 454. Liv. VIII, 30. late stragem dederunt. VII, 23. stragem inter se dare; — edere stragem XXVII, 14. XXX, 33. Notabile est Attianum ap. Cic. Nat. D. I, 35. Pontus terrestres strages conciet i. e. in terris stragem edet.

Supplicium dare. Ne hoc quidem unquam (id quod in formula poenas dare notavimus) in eo valuit, qui poenas ab adversario sumebat, sed in eo tantum, qui patiebatur ultionem alterius. Plaut. Asin. II, 4. 75. 76. Epid. V, 2. 59. Mil. II, 6. 22. 31. Terent. Eun. I, 1. 24. Heaut. I, 1. 86. Nec melius est luentibus supplicium Virg. Aen. XI, 842. Tac. Ann. XV, 69. vel expendentibus Virg. Aen. VI, 740. vel haerientibus etiam ib.

IV, 383.; sed qui sumunt supplicium, animum explent Pl. Merc. V, 4. 31. Sall. Cat. 51. Tac. Hist. II, 72.

Tortus dare Virg. Aen. V, 276. serpens longos dat tortus corpore i. e. volvitur, ubi Wagnero similia colligenti fenestra certi omittenda erat: nam, quem locum videtur intellexisse II, 482. eius diversissima est ratio.

Turbas dare i. e. tumultum edere vel perturbare. Plaut. Bacch. II, 3. 123. quas ego hic turbas dabo. Pers. V, 2. 70. Caecil. ap. Non. v. turba. Terent. Eun. IV, 3. 11. (perturbare turbas Pl. Bacch. IV, 10. 1.). item turbellas dare Pl. Pseud. I, 1. 108. Pers. V, 2. 37.

Verba dare saepissime est περαζίζειν, ἐρεσχεῖν, quoniam ut falsa veris, ita verba rebus opponuntur. Ovid. Trist. V, 7. 40. fallo dolores, experior curis et dare verba meis; edere verba semper dicitur, qui loquitur. Ov. Met. V, 105. edidit verba exsecranta; nonnunquam illud quoque, ut Trist. II, 1. 138. parca (i. e. lenia) verba sunt data (dicta) fortunae meae. Epist. IV, 8. 36. pro concessa salute verba damus (reddimus). IV, 9. 111. his ego do precentia verba.

Viam dare is dicitur, qui vel ipse decedit (Liv. XXV, 36.) vel patitur alterum pervadere (Ovid. Fast. IV, 770.), viam facere is, qui aut munit (Ovid. Epist. IV, 12. 50.) aut aperit per turbam (Tibull. I, 5. 64.); iter dare de facultate itineris faciundi (Caes. bell. g. I, 7. 8. Liv. VIII, 5. XXI, 20.); iter facere de profectione. — Ovid. Epist. I, 1. 34. dicitur ipsa viro flamma dedisse viam, et similia multa (Metam. XV, 441. Fast. IV, 800.), Fast. IV, 770. dent viam liquido vimina rara sero, quocum conferas Tibull. II, 3. 15. rara per nexus est via facta sero. Liv. III, 48. da viam domino adprehendendum mancipium. Cum igitur turba remota et det viam, quia non iam obstat, et faciat viam, quia efficit permeandi libertatem, Livio de eadem re eodemque loco utrumque dicere licuit XXX, 33. ad impetum elephontorum viam belluis darent, et paullo post: velites quoniam viam elephantis, ne obtererentur, fecissent. Eadem ratione locum facere v. Muetz. ad Curt. p. 7.

Vulnus dare, vulnerare. Lucre. II, 639. ne aeternum daret matri vulnus. Virg. Aen. VI, 76. Ovid. Fast. II, 234. Met. I, 458. III, 84. V, 170. VII, 342. VIII, 346.

Sequuntur vocabula sonum significantia, quae et cum dandi et cum faciendi verbo copulantur eo, quod in sup. disp. p. 7. exposui, discrimine: quarum formularum latissimus apud poetas, multo angustior apud prosaicos est usus, qui edere verbum, vel mittere vel praebere (Liv. VII, 36.) consueverant praeferre. Nec plus singulis exemplis allatis opus erit. Balatum Ov. Met. VII, 540. cantum Virg. Aen. I, 402. clamorem Aen. III, 566. crepitum Lucre. VI, 110. fragorem Lucre. VI, 129. gemitum Aen. IV, 409. modos (de tibia) Ov. Fast. IV, 214. mugitum Met. XV, 510. murmur VI, 142. plangorem II, 346. plausum Virg. Aen. V, 215. sibila Ov. Met. IV, 493. sonitum Virg. Georg. II, 306. sonorem ib. II, 200. sonum Aen. X, 600. stridore sonum i. e. stridorem Ov. Met. XII, 276. tinnitum Ov. Fast. IV, 184. ululatum Virg. Aen. XI, 190. vocem Ov. Met. IX, 583. His adiunge fletum edere Phaedr. Fab. I, 9. 3. fremitum Att. fragm. p. 247. Both. strepitum Liv. XXIX, 14. vagitum Quintil. I, 1. 21. Graecorum stilus in his admodum parcus: v. Bach. ad Ov. Met. IX, 584. quibus addendum ἥχω λέλαχε διδοῦσα θρόνον Eur. Hecub. 1101. Atque ut malum dant inimico, qui ulciscuntur (illi perniciem dabo, mihi moeres, exitium illi, exilium mihi Eun. ap. Cic. Nat. D. III, 26.), ita inverso obiectorum ordine iidem dicuntur adversarium dare (dedere, mittere, mandare) exitio Lucre. V, 96. leto id. V, 1006. morbo mortique id. VI, 1143. neci Virg. Aen. XII, 341. quieti corpus Hor. Carm. I, 37. 20. sopori id. Serm. II, 2. 80. somno Ov. Fast. IV, 332. excidio Virg. Aen. XII, 655. excidio et rainis Liv. I, 29. fato se dare id. V, 40. cruci dedere Plaut. Aulul. I, 1. 20. Sic et λογρότις χρόνα τεθωκα et λούτρον τεθωκα χρωτὶ Euripideum utrumque: v. Matth. Gr. Gr. p. 764. ut, in Hymn. Apoll. 354. δῶκε κακὸν κακῷ, utrum masculinum, utrum neutrum esset,

non appareret, nisi praecederet τόνδε. Praeterea διδόναι ἀγέοντα τινα Hom. Odyss. I, 167. δύνησις Illad. V, 397. Odys. XVII, 567. ἐχθρότατον φασί τινά δύστεν μόσχον Pind. Nem. I, 99. ἔδωκε Απόλλων θῆρας αὐτῷ φόβῳ id. Pyth. V, 60 τὸν φιλέοντα ἄνταις δίδοις (aerumnis tradis) Theocr. XXIX, 9. Sunt vero, quae obiectorum inversionem illam non patientur, ut terga fugae dare Ov. Met. XIII, 879. solibus et campo corpora nuda dabant Fast. II, 366. quae vitiosa putavi, ignibus ipse dedi Trist. IV, 10. 62. Virg. Aen. II, 566, oblivioni dare Liv. XXXII, 21. oblivioni et negligentiae id. IV, 37. nec quisquam invertere co-
netur Τετογα δύστεν κνοῖ Hom. Iliad. XXIII, 21. vel διδόναι πυρὶ τινα Odyss. XXIV, 65. Herod. I, 86.

Hinc longius progressi tertii casus vicibus (edere luci i. e. in lucem Cie. poeti de Div. II, 30. §. 64.; se dant praepetibus et pulchris locis i. e. in loca fausta et pulchra se conferunt Enn. ap. Cic. de Div. I, 48.) praepositiones motum indicantes fungi iussérunt: nec tantum dantur ad carnificem fures Plaut. Capt. V, 4. 22. sed ad casum etiam, qui prosternuntur (Att. ap. Cic. de Div. I, 10.), quibus consimilia leguntur Ovid. Epist. I, 2. 48. dare captivas ad ferā vincula manus. Met. III, 679. dare brachia ad funes (sospiter omnes restituit ad propinquos i. e. propinquis Liv. II, 13.), ad mortem dare Plaut. Amph. II, 2. 177., ad terram dare i. e. sternere Capt. IV, 2. 17. (dare in terram Lucr. V, 1320.) Liv. XXXI, 37. ad languorem dare, languidum facere Ter. Heaut. IV, 6. 3. Pl. Asin. III, 2. 28. ad ictus se praebere Liv. XXXVII, 30. Gigantas ad Styga datos Ov. Epist. IV, 8. 60. Sequitur in praepositio, quae latius etiam patet. In acies medias se dare Virg. Aen. XII, 227. in aequor se dare id. Georg. IV, 528. in aleam dare Liv. XLII, 50. 59. in aera reddere Ov. Met. XI, 558. apes in altum datae Plin. H. N. XI, 20. 22. in bella se dare Aen. XII, 633. in casum dare Liv. VI, 25. XLII, 62. Tac. Ann. I, 47. XII, 14. in ci-
vitatem se dare Liv. VI, 33. in conspectum (conspectu v. Alsch. ad Liv. IX, 27.) dare Cic. Verr. V, §. 86. et saepissime; in cruciatum dare Pl. Baech. IV, 4. 36. in caveam dare Capt. I, 2. 15. in custodiam dare Liv. I, 4. in discriimen dare Liv. XXX, 30. (com-
mittere Liv. VIII, 32). in exercitationem se dare v. Kuehner. ad Cic. Tusc. I, 4. 7. I, 15. 32. in fluvium se dare Virg. Aen. IX, 815. in fugam dare Caes. bell. g. II, 23. Cic. Verr. IV, §. 95. (navem in fugam transducent Att. fr. p. 241. εἰς φυγὴν καταστῆσαι Thucyd. III, 108.) in hostem dare corpora Tac. Ann. XV, 10. in laqueum dare Iuvan. Sat. XIII, 244. in lectum dare Lucr. VI, 1248. in lucem edere Ov. Met. XV, 221. in luctus animum dare Ov. Met. II, 384. in medium dare i. e. communicare Met. XV, 66. Lucre. V, 1159. in nervum et supplicia dare corpus Liv. VI, 36. in opus servile se dare Liv. VII, 4. in otium tradere (otiosum facere) Ter. Phorm. prol. 2. in pedes se dare (aufugere) Pl. Capt. I, 2. 10. (se conserre in pedes Bacch. III, 1. 7). in planum dare Senec. Phoeniss. 343. in pontum se dare Ov. Met. XI, 784. in profundum dare Curt. IV, 3. 10. in rogos corpora dare Ov. VII, 608. in ruborem dare Pl. Capt. V, 2. 9. in scelus addere scelus, in funera funus Ov. Met. VIII, 483. in societatem se dare Liv. VI, 33. in splendorem dare Pl. Asin. II, 4. 20. (redigere Aulul. IV, 1. 16). in timorem dare (perterrefacere) Pl. Pseud. IV, 1. 19. in tor-
menta dare Cic. Tusc. V, 28. in vineula dare Liv. XXII, 7. Ov. Fast. III, 306.

Ex reliquis praepositionibus sub et super et inter ad illorum similitudinem accommo-
dantur: dabit colla sub iuga Tibull. I, 4. 16. iterum corpus super aequora mittit Ovid. Met. XI, 790. optat aprum inter pecora dari Virg. Aen. IV, 158.

Facere verbi in hoc genere fere nullus usus fuit; Appuleii est, quod assertur ad Viger. 283: haec ut primum ante iudicis conspectum facta est, a quo tamen haud multum ab-
est, quod Cicero scripsit de Divin. II, 6. luna e regione solis facta h. e. in cursu tantum
progressa, ut soli sit obiecta.

Atque ut apud Latinos huius verbi fontes paene siccitate arent, illius scaturiunt, ita

parcius Graecae linguae ingenium hoc genus διδόται verbo condonavit, multo liberalius exornatis ποιεῖν et ποιεῖσθαι. Eurip. Androm. 1009. ἐχθρῶν γάρ ἀνδρῶν μοῖραν εἰς ἀναστροφὴν δείμων δίδωσι i. e. ἀναστρέψει (δούται ἀναστροφὴν Xen. Hellen. IV, 3. 6. est receptui locum dare). Verum de formulis ποιεῖσθαι ἐν αἰσχύνῃ Plut. de lib. educ. p. 9. A. ἐν μέσῳ Thuc. I, 62. ἐν αἰτίᾳ (veretur ne istaec pollicitatio te in crimen ponat et infamiam Pl. Trin. III, 3. 11.) de particulisque ἄγεν, ἔξω, ἐντὸς, εἴσω commode nos admonent docti editores Vigeri p. 282. qui quae attulerunt, his augeantur: ἐς φυλακὴν ἐποίησατο Thuc. III, 3. ἐκεῖνος ἐν φυλακῇ (tralaticia praepositionum συνέπιπτωσις) ἀδέσμῳ ἐποίησατο Dio Cass. XXXVI, 36. τὰς ταῦς ἐπὶ τοῦ ἤηροῦ ἐποίησε Thuc. I, 109. τὴν μεγάλην βασιλείαν ἐπὶ πλεῖον τῆς ἄλλης Θράκης ἐποίησε id II, 29. Verum ἐν χερὶ μάχῃ ποιήσας Arrian. II, 10. ex hoc numero tollendum est, quia non narratur effecisse Alexander ut cominus pugnaretur, sed ipse manus cum hostibus conseruisse dicitur.

Pertinent hic adverbia motum indicantia: dare vel edere se foras Luer. I, 1106. Pl. Most. III, 2. 9. dare se protinam (Hartung. de casib. p. 39.) Pl. Curn. II, 3. 84. Cas. V, 3. 13. Naev. ap. Non. v. protinus; dare se obviam Terent. Ad. III, 2. 13. (dedit obvia ferro pectora Virg. Aen. XII, 540. quodcunque obvium detur Liv. XXVI, 27. XXXVII, 41. Romulus se mihi obvium dedit id. I, 16.); retro dare, reicere, Ov. Met. I, 529. III, 88; memet super ipsa dedisset Virg. Aen. IV, 606.

Quibus adiungenda alia censeo adverbia: Luer. II, 84. ipsa palam quod res dedit ac docuit nos (quod palam facere Livius et Cicero dicunt). Terent. Eun. II, 1. 24. dare se turpiter γέλωτα ὅφλους κάρειν. Virg. Georg. I, 287. multa melius se nocte dedere, successere. Poet. ap. Cic. Nat. D. II, 26. ita dat se res. Liv. XXVIII, 5. prout tempus se et res daret. Consentunt cum his Graeca δίχα ποιεῖν τὸ στράτευμα Xen. Anab. VI, 4. 11. ὅπισθεν τάπος χαλεπὸν ποιήσασθαι ib. VI, 4. 18. κατ' ἐνωμοτίας ποιήσασθαι τὸν λόγον IV, 3. 26. τοιχῇ ἐποίησατο τὸν τοξότας IV, 8. 15. τὰ λεπτὰ πλοῖα ἐντὸς ποιοῦνται Thuc. II, 83.

Iam, quum solum accusativum nullo addito praepositionis admiciculo conversionem in locum indicare et ea doceat nominum constructio, quam cum locorum, tum insularum urbiumque propria sequuntur, et utriusque populi verborum motum significantium conformatio (Matth. gr. p. 747. Zumpt. §. 401.), inde factum videtur, ut *venum dare* diceretur, cui contra est possum *venum ire*. Namque macroparalecton illud *venus* nomen fuisse, idque heterocliton, duplex dative forma *veno* et *venui* satis demonstrat. (Locis in Lex. allatis adde Tac. Ann. IV, 1.). Quam formulam ita consuetudo contraxit, ut primum hyphen scriberetur *venum dare* vel, liquida dentalis insequentis naturae adaptata *venundare* (v. Schneid. gr. lat. I, 309.), tum angustius etiam coarctaretur *vendere*: item *venire pro venum ire*. Ex scriptoribus qui illud usu receperunt, locupletissimus auctor est Livius, quamquam apud Ciceronem etiam legitur. Ad illorum similitudinem pertinent Pl. Merc. II, 3. 19. trans mare hinc *venum asportet*. id. fr. Lenon. Gemin. I. dolet hic pullus sese *venum* ducier. De ceteris lexicorum conditores tradiderunt.

Multo est difficilior dictu de *pessum dare*, *pessum ire* formulis: quae quamvis ad illam, quam modo tractavimus, prope accedere videantur, tamen aliquantum habent dubitationis. Etenim tres ferri de *pessum* vocabulo sententias video, unam adverbium esse, alteram nomen, tertiam supinum. (Dillenb. in Zimmerm. Ephem. 1842. p. 272. Viehoff. in Progr. Emmeric. 1840. p. 27.). Hanc ego ut accipiam, primum hoc me movet, quod *pessus* nusquam legitur (ut introrsus, sursus, rursus, adversus, prorsus), tum illud, quod casuum nullus alias reperitur: ac persuasit mihi Doederlinus Synon. I, p. 68. nativum formam fuisse *perversum* (quae postea molitus est vol. VI, p. 267. nihil sunt), praesertim quum alterius verbi similitudine eodem ducar, credere, cuius non dubito quin recte Priscianus X, p. 890. verbum crescere caput esse perhibeat, ut sit *cretum dare*: certe cum Doederlini καραδοκεῖν (Synon. V, p. 85.) non

commune habere solum, verum ab ipso dare verbo originem traxisse, vel perfecti declinatio arguere potest. Quamquam si est supinum pessum, nihil est, quod vereamur nomen appellare, quoniam supina sunt nomina verbalia abstracta (zum Umsturz bringen, — gehen). Quamobrem quod fuerunt qui intellexisse sibi viderentur, propriam ac peculiarem de profundo maris fuisse eius vocabuli potestatem, huic sententiae ego non subscribo, etsi sunt quae eo rem inclinare videantur: Pl. Rud. II, 3. 64. eam cum navi scilicet abisse (non abivisse) pessum in altum, a quo recte ut caveremus admonuit Doed. p. 71.; et Cic. ap. Quinctil. VIII, 6. 47. quemquam hominem ita pessum dare alterum verbis velle, ut etiam navem perforet, in qua ipse naviget. Pessum dare Plautus et Sallustius et Tacitus satis saepe usurpaverunt, nec ceteris videtur displicuisse, Cicero uno, quem attulimus, loco usus est. — Premere pessum Pl. Mostell. V, 2. 49. subsidere pessum Lucr. VI, 589. Ceterum et venundare et pessum dare per tmesin dividere posse, monere nihil attinet.

Ad horum auctoritatem commode sese confert nuptum dare Pl. Aul. prol. 27. aliisque permultis locis; dativum nuptui expposit Drak. ad Liv. I, 49. Locare nuptum Terent. Phorm. V, 1. 25. collocare nuptum Pl. Trin. III, 3. 7. Ambigi posset de Plautino: si post hunc diem multivero, dato me excruciatum (Mil. glor. II, 6. 84.), nisi rem conficeret Ambrosiani libri auctoritas excrucianum exhibentis, quod legitur gemino loco Poen. V, 3. 23. Verum apud Terent. Andr. I, 2. 28. verberibus caesum te in pistrinum dedam, cæsum procul dubio est participium, non supinum.

Ventum est ad praeceps dare formulam, cuius triplicem exstantem speciem intelligo, unam, ut omissa praepositione neutrum adverbii loco positum videatur, alteram addita in praepositione, tertiam relatione ad obiectum facta, dare praecipitem aliquem. Ac primum quidem haud incertis, sed rarissimis exemplis stabilitur, nec ego ultra tria illa, quae contulit Freundius in Lex. III, p. 910. quidquam affero, sed sane confirmatur aliarum similitudine formularum, proclive labi, sublime ferri. v. Kuehner. ad Cic. Tusc. I, 17. 40. IV, 18. 42. Fabri. ad Liv. XXI, 30. 8. Dubitari possit de Ovidii loco Met. XIV, 821. Gradivus pronum per aera lapsus, utrum neutrum sit an ad aera referendum etsi ad Gradivum potius revo- candum erat ac pronus scribendum; hoc ut malim, suadet XIV, 548. fertque rates pronas. Cetera quae in hanc rem conferri possint, dubia sunt, potiusque eo inclinat animus, ut tertio generi attribuam, quum Curt. IV, 3. 7. scripserit: terra praeceps in profundum ruit, relatione ad terram vix dubia, et Ovid. Met. VII, 844. coniugis ad vocem praeceps amensque cucurri nibil dubitationis habeat. Sall. Cat. 25. sed ea luxuria atque inopia praeceps abierat. Iug. 63. postea ambitione praeceps datus est. Haud indigna memoratu Virgiliana sunt Aen. III, 598. praeceps se tulit ad litora. IV, 253. praeceps se toto corpore ad undas misit. IX, 815. praeceps se in fluvium dedit, in quibus quartum casum alii scripsissent: sed niti in hoc genus Maro videtur, ut VI, 880. non illi quisquam se impune tulisset obvius armato. — Altera est ratio adiecta praepositione: Liv. XXVII, 27. dederat rempublicam in praeceps, cui simile est Curtii IV, 3. 10. pleraque secum in profundum dabant; Virg. Georg. I, 203. illum in praeceps rapit, aliaque multa. — Tertium denique genus longe frequentissimum, ac sufficiant tria exempla: Terent. Andr. I, 3. 9. me praecipi- item in pistrinum dabit. Caes. bell. g. V, 17. praecipites hostes egerat. Cic. Lael. 24. praecipitem amicum ferri sinit.

Deinde, ut praecipitem aliquem dare dicebant, ita aliis adiectivis sic adiunixerunt verbum, ut efficeretur faciendi plerumque vel praebendi notio. Pl. Epid. III, 2. 5. mihi hunc diem dedistis lueulentum et IV, 1. 17. sicut anni multi me dubiam dant. Poen. III, 3. 82. tibi possum illum (cacerem) festivum dare et V, 4. 15. da diem hunc sospitem, quaeso. Ter. Heaut. II, 4. 22. pater partes diu duras dabit (negotia tibi facesset). Virg. Aen. IX, 323. haec ego vasta dabo i. e. vastabo. Non hoc pertinent Ter. Adelph. III,

4. 4. pol haad paternum (paterno more) istuc dedisti (fecisti) et Iuven. Sat. XV, 153. ut somnos tutos (securos) daret fiducia. Verum dare se hilarem Pl. Asin. V, 1. 21. obnoxium Tac. Aen. XI, 36. similem Iuven. Sat. XIV, 51. ad prebendi fingendique accedunt significationem.

Haud procul hinc absunt participia passivorum, quibus adjunctum dare gratam verbo faciendi suppeditat vicissitudinem. Atque de responsum dare formula supra vidimus (superbe responsum reddunt Liv. I, 32.); accedit non minus late patens dictum dare Luer. V, 54. immortalibus de divis dare dicta suevit. Ovid. Epist. IV, 16. 31. darent fera dicta tyrannis: quam rem non semel procurat dare verbum ipsum (*didórai*: v. Burm. ad Ovid. Fast. VI, 434. Inpp. ad Terent. Heaut. prol. 10.), vel compositum edere Iuven. Sat. III, 74. 296. Praecipue hemisticchium illud haec ubi dicta dedit ὡς ἐπαρο— cum poetis usitatum tum Virgilio in deliciis fuit, (Aen. VI, 628. XII, 441.) Liviique adeo plausum tulit. v. Fabri. ad XXII, 50. 10. Talia dicta dabat Virg. Aen. V, 852. IX, 431. haud dum dicta dabas id. X, 600. Atque, ut solent dicta et facta eadem conditione haberi, ne facta dare quidem suis caret auctoribus: fera facta dedere Luer. V, 1339. v. Muetz. ad Curt. VII, 3. p. 605. VII, 10. p. 616. Item mandata dare Virg. Aen. VI, 116. promissa dare XI, 45. 151. Sed illa substantiva extiterunt; verorum participiorum haec habeas exempla: Pacuv. p. 106. quod me moneris, effectum dabo. Ter. Andr. IV, 1. 60. at iam hoc tibi inventum dabo. id. Eun. II, 1. 6. quin factum dabo. id. Heaut. V, 1. 77. exornatum et pexum dabo. Phorm. V, 8. 81. hisce ego illam dictis tibi incensam dabo. Plaut. Cas. II, 8. 3. factum et curatum dabo. Cist. II, 3. 1. perfectum dabo hoc negotium. Men. prol. 14. argumentum vobis demensum dabo. Mil. IV, 4. 38. expolitum meum opus dabo. ib. II, 2. 103. perdoctam illam dabo. Pseud. IV, 1. 18. pulchre explicatam tibi rem dabo. Pers. IV, 1. 9. lenonem intricatum dabo. Most. I, 3. 140. bene eruptum tibi dare hoc verbum volo i.e. faciam, ut bene emisse te dicas. id. Asin. II, 2. 98. dixit operam sese promissam dare. Virg. Aen. III, 70. placata venti dant maria. id. XII, 437. te mea dextra defensam dabit. Liv. VIII, 6. sic stratas legiones Latinorum dabo. Incertum est Curtii VII, 4. 14. his audiendum suspensam dederat exspitationem, ubi et Muetz. et Zumpt. suspenderat edidere. Neque Sallustii locus Iug. 59. est haec fili: ita equitatus expeditis peditibus suis hostes paene victos dare h. e. equites peditibus tales tradiderunt hostes, ut paene iam ab ipsis victos facili negotio fugarent; quemadmodum Liv. X, 44. ut perdomitum Samnum insequentibus consulibus tradi posset.

Relictis iam nominum et participiorum finibus ad verba transmigremus et quid notandum sit videamus. Atque, ut a paucitate exemplorum ordiar, infinitivis dare verbum ita consociatur, ut nostro lassum commode persaepe convertamus (Quintil. IX, 3. 9.). Ex poetis in hoc genus praecipites sunt Virgilius et Ovidius, nec ceteri recusaverunt, etsi parcus usi sunt; in prosam orationem nihil fere inde relatum est, nisi bibere dare Liv. XL, 47. (ministrare bibere Cic. Tusc. I, 26. v. Ruhnk. in Terent. Andr. III, 2. 4.). Et plerumque quidem is, cui aliquid conceditur, e contextu verborum intelligendus est Virg. Aen. V, 307. bina dabo spicula ferre. VI, 140. sed non ante datur telluris opera subire (sic datur saepissime id quod licet). XII, 97. da sternere corpus. Plaut. Pers. V, 2. 40. bibere da plenis cantharis. Is si nominatur, cui aliquid liceat, modo dativo, modo accusativo utuntur, casu nunc ad verbum (quod multo legitur frequentius), nunc ad infinitivum se applicante. Virg. Aen. IX, 115. mare exurere Turno dabitur. V, 689. da flamمام evadere classi. Ovid. Met. VIII, 691. vobis immunitibus esse dabitur. Trist. I, 9. 1. detur metam tibi tangere vitae. Hor. Carm. II, 16. 39. dedit mihi malignum spernere vulgus. Contra Virg. Aen. VI, 66. da Latio considere Teucros. X, 235. et dedit esse deas. III, 77. immotamque (Delon) coli dedit. Passivo opus erat Pl. Truc. IV, 2. 26. dedi ei quinque deferri minas, ich liess ihr überbringen.

Non hoc pertinet IX, 173. quos pater Aeneas dedit esse magistros (*τοῦτον δὲ παῖς τῷ θεῷ* εἶπεν οὐτός Xen. Anab. I, 7. 6).

Rarissima sunt ad hanc copiam finalis particulae exempla: Calpurn. Ecl. IV, 122. ille dat, ut dare cultor aristas possit. Pl. Stich. V, 5. 16. date bibat tibicini. Ov. Met. XII, 202. de femina ne sim. XII, 206. dederat ne saucius fieri posset. Aliter accipiendum est Ov. Met. XIV, 174. ille dedit, quod non anima haec Cyclopis in ora venit h. e. quod a Cyclope non devoratus sum, illi acceptum refero.

Ad hanc normam reguntur donare Enn. fr. p. 12. donavit fari i. e. vaticinationem. Hor. Carm. I, 31. 17. Serm. II, 5. 60.; praebere Pers. Sat. II, 28.; tradere Hor. Carm. I, 26. 2. reddere Stat. Theb. I, 651.; relinquere Ov. Met. XIV, 100.; non adimere id. Epist. I, 7. 47. Plenius dicta, quae potestatis vel licentiae vocabula superindita habent: Virg. Aen. III, 670. nulla datur dextram affectare potestas. Juvenal. Sat. XIV, 229. dat libertatem conduplicare patrimonia. Lucr. IV, 1226. quod alii dederat vitales auras volvere in ore licere, quod utique abundat.

Graeci in hoc genere liberrime vagantur et poetae et oratores, ἔδωκε γέρειν, ὥγειν Matth. gr. p. 769. Held. ad Plut. Timol. 32. Apud Herod. II, 48. δίδοι ἀποφέρεσθαι τὸν χοῖρον non est passivum ἀποφέρεσθαι, verum medium.

Cuius conformatioonis quoniam prosae orationis auctores taederet, gerundivum usurparunt: neque id ita dictum est, quasi poetis displicerit; potius iidem, quos infinitivi esse amantissimos confirmavi, ne gerundivum quidem repudiaverunt: Virg. Aen. VII, 359. exilibus que datur ducenda Lavinia Teucris. Ovid. Met. IV, 424. laceranda dare viscera matri. Fast. IV, 548. papavera dat bibenda. Quo ex numero memorabile est utendum dare, commodare, Plaut. tritissimum Asin. II, 4. 38. scyphos, quos utendos dedi. Men. IV, 2. 94. illam non condonavi sed sic utendam dedi. Pers. I, 3. 37. 47. 48. Rud. III, 1. 10. Trin. V, 2. 7. Cerc. V, 2. 5. quamobrem unius vocabuli compendium facere potuit Pers. I, 3. 37. numos mihi dares utendos mutuos. Et quemadmodum nostri ad audiendum intenti das Ohr leihen, ita Enn. fr. p. 223. aures utendas dare, quod simplicius commodare aurem significat Ov. Trist. V, 12. 53. Hor. Epist. I, 1. 40. et donare aurem Pers. Sat. IV, 50. ἀκοήν διδόνται Soph. El. 30. Praeterea haec notabilia videntur: Pl. Mil. III, 1. 208. si ipsi Soli quae- rendas dares, in quo tradendi notio paene quiescit. Cerc. III, 1. 69. statuam volt dare faciundam, cuius loco curare et locare usurpari solent. Oratoribus vero gerundiva sola placuisse, non multis opus est demonstrare. v. Zumpt. §. 659. magnamque copiam verborum hoc sese inclinantium v. ad Ruddim. II, p. 241.

Pluribus exponendum videtur de curare verbo, quod insolentius ponere ne Cicero quidem dubitavit in orat. pro domo 3. hunc tu civem domo et patria cedere curasti, nedum in Suetonio graviter feramus Domit. 20. bibliothecas reparare curavit, et de illustr. gramm. 24. multa exemplaria emendare ac distinguere et adnotare curavit, quamquam hoc aliorum declinat, quia non alios hortatus esse dicitur Probus, ut emendant libros, sed ipsi hoc cordi fuisse narratur: qua conformatio, ut poetas praeteream, qui multa eiusmodi sibi sumpserunt (Virg. Georg. I, 39. Ov. Met. XI, 370.), ne Cicero quidem abstinuit: qui deser- tum illum carent defendere Tuse. V, 31. 87. et Graeci usi sunt, σπεύδω αἰνέονται. v. Dissen. ad Tibull. I, 1. 57. et vero etiam Goethius noster in Tassonis tragodia I, 2. ausus est germanicam augere linguam: er sorgt nur kleine Zuege zu verbessern. — Nectitur deinde oratio finali particula (Ter. Adelph. V, 1. 10. exemplo omnibus curarem ut essem. Plaut. Epid. III, 4. 71. Amph. I, 2. 25. Cerc. I, 2. 48. Cic. ad Fam. IV, 10. VII, 5), qua quidem nihil opus esse poetarum loci demonstrant Lucr. VI, 231. curat vasis vina diffugiant. Hor. Serm. II, 6. 38. imprimat his cura Maecenas signa tabellis. — Sequuntur participia, cum perfecti, ut Ter. Andr. IV, 2. 1. ubiubi erit, inventum tibi curabo et mecum ad-

ductum Pamphilum, tum aliquanto frequentius futuri Lucr. V, 1162. suscipiendaque curavit sollemnia sacra. Caes. b. g. V, 58. quos arcessendo curaverat (*μετέπεμψατο*, cum pleonasmō quodam). Cic. ad Fam. IV, 12. funus ei satis amplum faciendum curavi, quam formulam in monumentis alterius opera ac studio exactis usu consecratam legimus. v. Krueger. gr. lat. §. 496. b.

Ventum est ad extremum auxiliarium ordinem, quo, quae vocant, modificationis verba continentur, ea dico, quae aliis verbis apposita, ita variant notionem, ut adverbiorum loco posita esse videantur. Quae quamquam apud Graecos et latius patent et numero superant, tamen non prorsus his caruerunt Latini, dispare illis φιλομετόχοις, quod infinitivis uti maluerunt. Quae cum ita sint, operaē pretium me facturum esse arbitror, si utriusque linguae copias comparaverim. Ac primum quidem Graecorum est φθάνειν, quod πρότερον adverbio suppetit, quod per pleonasmum nonnunquam additur. v. Matth. gr. §. 553. Cuius verbi triplicem esse constructionem constat, primam longe usitatissimam cum participiis, velut ὁ πεζὸς φθάνει ἀνθράκης Thuc. VI, 97. tum cum infinitivis, denique ita, ut per hypallagen φθάνω ipsum participium efficiat, participia in finitum modum mutentur. Utriusque plura exempla afferre e re erit, quia hunc locum grammatici brevius transigunt; ἐλύσασθαι ἐν τῷ νεκροῦ τὴν αἰγαλήν ἔφθασε Plut. Alex. 51. φθάσειν ἀν τελευτῆσαι Isochr. Evag. p. 183. ἔφθη συμφυγεῖν Ios. Antiq. XV, 8. ἔφθησαν αὐσθησαν τοῦ δεινοῦ λαβεῖν Dion. Hal. I, 46. Sed quare Thucyd. maluerit scribere ὁ φθάσας θαρσῆσαι III, 82. et Plutarchus τῶν δὲ σωματοφυλάκων ἐνδὸς φθάσαντος ὑψελέσθαι τὸ ἐγχειρίδιον Alex. 51. facile appareret. Tertium est φθάσαντες εἴπουμεν Marcellin. V, Thuc. 53. φθάσαντες ὑφῆπτοι Thuc. II, 52. ὡς χατέργυγε φθάσας εἰς μέλωνa Plut. Praec. Conj. 41. Simplici huic acie eidemque densissimae quadruplices ordines, at multo rariores, Latium opponit: occupare, maturare, properare, festinare, ex quibus primum semper, alterum saepe, tertium et quartum nonnunquam praeveniendi et praevetendi notione utuntur, celeritatis plerumque potestate plus minus perspicua.

Occupare. Occupas praeloqui, quae mea est oratio Plaut. Rud. I, 4. 28. i. e. tua oratione antivertisti meam. Sed occupabo adire Most. III, 1. 39. Volo tu prior (ut πρότερον supra vidimus φθάνειν verbo additum) ut occupes adire Pseud. IV, 1, 15. Noctu sacrificatum ire occupant Poen. I, 2. 107. Ferre adversum hominem occupemus osculum Stich. I, 2. 32. Oscula rapere occupet Hor. Carm. II, 12. 48. Similia ex prisco scriptorum genere a Nonio (IV, 328.) ceterisque grammaticis afferuntur: occupa foras exire (Titinn.), quemadmodum occupemus facere in regem impetum (Att. p. 208.), auferre puerum ab regina occupo (id. p. 244.), priusquam responderem, foris nescio quis occupat res indicare (Varr.), castrisque castra ultra iam conferre occupat (Enn.). Ex prosae orationis auctoribus Livius has dicendi formulas adamavit, cuius locis a Drak. ad XXI, 39. coactis hi addantur: ipsi praeeoccupaverunt legem ferre IV, 30. qui occupasset eum occidere XXXV, 35.

Maturare, prosaicis tritus, quam poetis. Quod ni Catilina maturasset pro curia signum socii dare (i. e. priusquam omnia ad caudem faciendam essent parata), eo die pessimum facinus patratum foret Sall. Cat. 18. Ni decemviri funus militare ei facere maturassent εἰ μὴ ἔφθασαν ποιήσαντες Liv. III, 43. Quod nisi omni vi perficere maturasset, bellantem eum Sempronius oppressisset id. XXIX, 12. Saepius vero celeritatis potius fit significatio: id ut maturent facere Ter. Heaut. III, 1. 87. maturavit eam rem agere Liv. X, 15. ut maturarent instruere Liv. XLIV, 36. praecipue cum infinitivis verborum motum indicantium: iter pergere Sall. Iug. 79. impellere et sequi Tac. Hist. IV, 34. sequi ib. V, 18. proficisci Liv. XXXIX, 21. Caes. b. g. I, 7. exercitum transducere ib. II, 5. venire Liv. IX, 43. XXXIV, 46. ire Liv. XL, 26. Memorabile est per hypallagen dictum: legati in Africam maturantes veniunt Sall. Iug. 22.

Properare, satis et oratoribus et poetis consuetum. Ut quis praevenire et reum desti-

nare properat Tac. Ann. VI, 7. ne properent (*φθάνωσι*) artus anima fraudare siniles Ovid. Met. VII, 250. cur non monere socium properasti i. e. cur non prius monuisti Phaedr. fab. Append. XI, 19. quin ergo istud, quod perdendum est, propero perdere (priusquam vi eripiatur) Pl. Bacch. IV, 9. 126. (cf. Caecil. ap. Non. v. incursum: nisi meam rem propero incursum perdere), medicari quin properas Pl. Merc. V, 2. 110. Plautina sunt praeterea Merc. II, 1. 19. Pers. IV, 4. 115. Stich. V, 2. 19. Trin. IV, 3. 37. Truc. I, 2. 66. II, 2. 31. Epid. III, 4. 78. alia haud pauca, Horatiana, Virgiliana, Ovidiana, Terentiana multa. Ex solitae orationis scriptoribus Caesar non raro usurpavit b. g. II, 11. V, 33. Held. ad b. civ. II, 20. item Sallustius et Tacitus et Livius. Sed singularia quaedam notanda sunt: primum, quod Flautus scripsit properare propero Aulul. II, 2. 4. aut ioco aut paronomasiae tribuendum, deinde, quod non tam celeritatis interdum, quam cupiditatis notio valuit, unde eo perventum est, ut ipsorum voluntatis verborum constructio non repudiaretur. Quo in genere notabile est Sallustii Cat. 7. sic se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici properabat; nec vero pronomen quasi reflexivum ad verbum est referendum, quemadmodum se penetrare, se insinuare dicatur. Consimilia sunt Virgiliana: si iungi hospitio properat sociusque vocari Aen. VII, 264. quem regia coniux adiungi generum miro properabat amore, ib. VII, 57. Ovidiana: quamvis properabis vincere Fast. VI, 763. nec tamen ante adiit, etsi properabat adire Met. IV, 317. Curtii denique VI, 3. 14. p. 523. Muetz. quem quidem cruci affixum videre festino.

Festinare, rarius, quam properare, sed tamen Livius et Curtius amplexi sunt. Qui praefestinet praeloqui Pl. Rud. I, 2. 31. praefestinamus, quae sit causa, sciscere Afran. ap. Charis. II, p. 186. ne festinaret abire Sall. Iug. 64. cum maxima cura ultum ire iniurias festinat ib. 68. atque *ἐξ παραλλήλου* maturare festino, quae cumulata plus ponderis habent quam singula in Dial. de Orat. 3. atque ideo maturare libri huius editionem festino. Liviana quaedam sunt: ille defungi proelio festinat I, 25. (VII, 9. IX, 9. XXIII, 14. XXXIV, 59. XL, 11.); Curtiana: ipse Satibarzanem sequi festinat VI, 6. 25. (III, 7. I. IV, 6. 30. V, 4. 33. V, 13. 11.).

Iam ex Graecorum penu promatur λανθάνειν, κρύψα adverbii supplementum. Ζέλαθον εἰσελθόντες Thuc. II, 2. οἱ προαισταλέντες ἔλαθόν τε καὶ ἔφθασαν προκαταλαβόντες id. III, 112. quo prudenter participiorum cumulationem evitavit, nec minus scite se expedivit Lucian. Alex. 3. κόμην εὖ μάλα είκασμένην καὶ τοὺς πολλοὺς ὅτι ἀλλοτρία ἦν λεληθυῖαν, inscius Marcell. V. Thuc. 7. ὑπῆρχεν τῷ χρησμῷ λανθάνων. Hoc ita Latini imitati sunt, ut participia tenerent, infinitis abstinerent, pressisque Graecorum vestigia Horatius, qui vivens moriensque fefellit Epist. I, 17. 10. quod ad Epicureum illud λάθε βιώσας accommodavit; item Epod. III, 7. num viperinus his cruar incocitus herbis me fefellit? Curt. VII, 6. 4. sed nec barbaros fefellit subductus ex acie rex, οὐκ ἔλαθε τοὺς βαρβάρους ὁ βασιλεὺς ὑπεξαγθεὶς ἐν τῇ μάχῃ. Livianis, quos Fabri. collegit ad XXI, 48., locis adiiciendi sunt XXXVIII, 7. non solum fodientes, sed egerentes etiam humum fefellere hostem. XLIV, 29. Macedones vecti nocte fallebant. XXIII, 19. ne quid falleret ad urbem missum. XXXI, 38. quum fallere abiens hostem vellet, quocum conferas XLIV, 39. nec falleret nos abeundo; et quum participiorum generi verbalia substantiva succedant, recte Liv. XXV, 9. ne quis agrestium procul spectator falleret, recteque Horatius: purae rivus aquae et segetis certa fides meae fallit sorte beator εὐδαιμονικωτέρα λανθάνει οὖσα Carm. III, 16. 32. Virgilii locum Alecto fallit furentem vipereum inspirans animam Aen. VII, 350. recte interpretatur Wagnerus. Notabile est in Phaedri fabulis V, 5. 30. quod faciebat scilicet, sed latens, quemadmodum λαθὼν ὁ τρισκατάρατος ἀπιὼν ὥχετο Lucian. Catapl. 4. διαλαθὼν ἐσέρχεται Thuc. III, 25. μὴ ποιῶνται λανθάνοντες III, 51. λαθόντες διεκομίσθησαν III, 74.

Restat ut verba continuitatem actionis denotantia in certamen vocentur διατελεῖν,

διαγέγρεσθαι, διάγειν, διαπρήσσειν, διατίνειν, θαμίζειν (non poetis solum usurpatum, verum etiam Platoni: οὐδὲ θαμίζεις ἡμῖν καταβάτων ἐς τὸν Πειραιᾶ Rep. I, p. 328. C.), de quibus Matth. gr. §. 552. quibus plura etiam addenda sunt: διαμένειν βάλλοντες καὶ θείνοντες διέμεναν Zosim. II, 50. διεξιέναι διεξῆται τὸ σῶμα κόπτων καὶ λυμανόμενος Pausan. III, 4. ἐπεξέρχεσθαι ἐπεξῆλθε φθείρων τὸν οἰκον id. IX, 7. χρονίζειν δταν δὲ χρονίζη τοῦτο δῶν Plat. Phaedr. 255. B. διατρίβειν φροῖν οὐκ ὑπὲ δροῖα τοῦτο πεπονθὼς διατρίβειν Arist. Eqq. 514. οὐ διαλιπεῖν ἀθυμοῦντας δὲ οὐ διαλιπεῖν Liban. To. II, p. 208. οὐκ ἐπανιέναι πάλιν τοῦτο τέμνων οὐκ ἐπανῆκε Plat. Phaedr. 266. A. οὐ κάμυνεται καρπὸν ἀστοῖσιν εὐθεοῦντα μὴ κάμων χρόνῳ Aeschyl. Eumen. 908. μὴ κάμῃς φίλον ἄνθρακα εὐέργετῶν Plat. Gorg. 470. C. His comparanda sunt perstare, perseverare, pergere, exsequi, et cum negationibus quaedam prolixa, sed exemplorum numero Graecis multo inferiora.

Perstare. Hi tamen orantem perstant prohibere Ovid. Met. VI, 361. perstat certare id. XIII, 77. damnosa persto crudere semen humo id. Epist. I, 5. 34. perstat contemnere Sil. V, 104. perstitit intercedere Tac. Ann. III, 70. perstitit posthaec aspernari talen sui cultum id. IV, 38. plures perstitere sanctitatem dominae tueri id. XIV, 60.

Perseverare, multo et locorum copia et scriptorum auctoritate firmius. Neque enim Tacitus tantum habet (Hist. III, 39.), sed etiam Quintilianus (v. Spald. Lex. p. 649.), et Livius III, 64. XXXVII, 53. XXXVIII, 46. et Caesar bell. civ. I, 13. III, 14. 37., et N eos Them. 5.; Curtius vero in deliciis habuit, multumque possunt augeri, quae Muetzelli p. 73. habet, velut: studia insequī perseveravit VII, 9. 13. quod excubare perseverassent VIII, 6. 19. si instare cedentibus perseverasset IV, 16. 30. procedere tamen perseveravit V, 6. 12. et illa petere perseveravit VI, 5. 31. aversari scelus perseverantem VI, 7. 10. oblectari perseverantem VIII, 1. 46. eum illi tacere perseverarent IX, 2. 31. sed solus quoque ire perseverabo IX, 2. 33. navigare perseverantis IX, 4. 12. obstrepere perseverabant X, 6. 12.

Pergere, optimo cuique scriptori consuetum. Ita intelligi potest Persii locus Sat. V, 150. ut numi pergent (ἴνα διατελῶσι) sudare deunes, nec opus est Iahnii explicacione in Annal. Bergk. et Caes. 1844. p. 1111.

Exsequi, quod aut cum participio coniungitur, aut cum gerundii ablativo, Livioque maxime placuit, v. Fabri. ad XXII, 3.

Non desinere. Fortuna Persas urgere non desinit Curt. V, 9. 4. clamare non desinit Cic. Nat. D. I, 34.; multoque saepius non desistere v. Muetz. ad Curt. p. 78. quibus adde III, 6. 15. appropinquantes admonere non destitit. Cic. Phil. II, §. 24. auctor esse non destiti, cuius generis non pauca sunt apud Nepotem (Dion. 3. Hannib. 1. Cat. 2.) et Caesarem (bell. g. VI, 2. VII, 17.), multa apud Livium leguntur (V, 30. X, 16. XXII, 15. XXXII, 11. XL, 56. XLII, 62. XLIII, 23.). Non absistere Ovid. Met. XI, 531. XII, 534. Maxime vero memorabile non intermittere, quod a Caesare ita est positum, ut Graecum aliquod exemplar scribenti obversatum fuisse existimemus, bell. g. II, 25. hostes neque a fronte ex inferiore loco subeuntes intermittere τοὺς πολεμίους οὐ διαλείπειν ἀναβαίνοντας.

Variae lectiones.

Venit mihi nuper in manus praeclara Ciceronis librorum de Natura Deorum editio ante biennium Lipsiae in publicum prolatum. Quae quamquam tum externa specie nitet et satis accurate expressa est *), tum ea, quae editor vel praefatus vel interpretatus est, iustis laudibus in Muetzellii Commentariis nuper elata sunt, tamen in eorum corpus hos Ciceronis libros relatos esse monumentorum, quae adolescentibus in gymnasiis erudiendis legenda sint, magnopere est dolendum. Utinam aliquando viri docti arbitrari desinant, quidquid antiqua tempora tulerint, tam esse ab omni parte perfectum et utile, ut ad alenda et excolenda adolescentium ingenia adhibendum sit. Neque ego hoc ita dictum volo, ut in antiquitatis studiis eum fructum percipi posse negem, qui laetiora adolescentium ingenia nutrire queat: tantumque abest, ut illorum studiorum obtrectatoribus adsentiar, ut unam eam viam ac rationem ad excolenda iudicia, ad implendos animos iuveniles vero humanitatis ardore ducendosque ad sacra philosophiae altaria certissimam esse confidam. Sed est tamen modus in rebus; et si quis id acturus est, ut, quae veteres philosophi de rebus ad mores et ad animos pertinentibus senserint, iis iuvenes instituantur, Tusculanis quaestionibus perlectis librisque de Officiis explicatis in gymnasiis cumulate erit huic quoque studiorum parti satisfactum. Sed physica ista, quae in libris de natura Deorum tractantur, cui adolescentium, quae, placere aut placere posse dicamus? Qui ubi insanas Velleii Epicurei in primo libro hallucinationes pravamque in ceteris philosophis condemnandis arrogantium cognoverint, ubi Balbi Stoici in altero libro ridiculas de nominum divinorum originibus sententias et quattuor, quae vocantur, elementorum rationem perversissimam cum inani verborum specie ac pompa non prolatam semel sed ter quaterve repetitam legerint, ubi Cottae Academicci in tertio libro de numero Deorum longinquam molestamque disputationem pervolutaverint, utrum tandem admiratione et studio discendi erectos, an taedio et languore confectos fore putabimus? Nam de naturalibus quidem rebus nunc multo rectiora et sciuntur et traduntur. Accedit, quod ne in dicendi quidem genere omnia quae in nostris libris leguntur, probari possunt, quae in secundo maxime libro explicando Schoemannus diligenter adnotavit, in eo, ut videtur, lapsus, quod Ciceroni ista, negligenti videlicet scriptori, obtrudere quam codicum temporisque iniuriae assignare maluit. Equis enim serio sibi persuadeat, ea quae II, 57, §. 143. de oculis legantur, a Cicerone profecta esse? qui si nunc relegere posset, quae ipse populi Romani lumen et columen scripsisse putaretur, ambas, opinor, buccas inflaret librosque suos perisse mallet. Haec igitur si ad

*) Iis, quae a typographo errata esse ipsa libelli indicat ultima pagina, haec adde: p. 27. ἀποφάσεις alterum a non expressum est. 59. similitudine pro similitudine. 79. statis pro satis. 93. amicitiae pro amicitiae. 157. tepefectis pro tepefactis. 177. uberimi pro uberrimi. 188. eundemque pro eundemque.

gymnasiorum primos ordines aditum inveniant, quid mirum si vel erudi homines vix resstant eorum invidiae, qui in scholis nostris inutilium rerum farragine adolescentium memoriam referciri querentes omnia antiquitatis studia acerbissime persequuntur? Iis potius reserventur, quorum interest interiores istas et reconditas literas scrutari, quibus ego fortem fidelemque operam Schoemanni magnopere commendatam cupio.

Sed sunt levia quaedam, quae rectius eum edidisse vellem. Ac primum quidem I, 21. haec leguntur: *roges me, qualem deorum naturam esse ducam: nihil fortasse respondeam.* Quaeras, putemne talem esse, qualis modo a te sit exposita: nihil dicam mihi videri minus. Gravioribus notis, quam res postulabat, et ab Orellio et a Schoemanno oratio distincta est. Etenim apposita esse haec enunciata appareat ad illud, quod paullo ante Cotta de se ipse indicaverat: „mihi non tam facile in mentem venire solet, quare verum sit aliquid, quam, quare falsum.“ Itaque, inquit, si mihi sit propositum, ut esse deos demonstrem, haesitem in respondendo; sim, ut falsum esse alterius iudicium arguam, hoc facturum me audacter profitear. Quamobrem sic incidentam esse orationem appareat: *roges me, qualem deorum — ducam, nihil respondeam: quaeras — exposita, nihil — minus.* — Similis est causa III, 6. §. 15. quid simile medicina, cuius ego rationem video, et divinatio? quae unde oriatur, non intelligo. At haec quomodo distinguenda essent, Orellius docere poterat, qui duo enunciata relativa ἐξ ἴσου addita esse intellexit: quorum si alterum superiori magis etiam assimilare voluisset Cicero, scripsisset: et divinatio, cuius ego originem non intelligo. — Tertius est locus III, 21. ubi de multiplici eorundem deorum numero Cotta disputat: tertii dicuntur a nonnullis Alco Melampus et Tmolus. Res est tritissima, aut polysyndeta talia scribi solere, aut asyndeta; sed in propriis nominibus liberius fuisse arbitrium ex Livio praecipue intelligitur: Eumenes Attalus et Mيساجenes XLII, 65. Azorum Pythium et Dolichen ib. 53. Epirus Aetolia et Thessalia ib. 37. Evander Neo et Archidamus XLIV, 43. Demetriadem Chalcidem et Lacedaemonem XXXV, 34. Pharsalus Scotussa et Pharae XXXVI, 14. Caecilius Baebius et Sempronius XXXIX, 33. Etiam apud Caesarem, qui in hoc genere accuratius scripsisse iure existimatur: Delphos Thebas et Orchomenum bell. civ. III, 55. legitur. De Sallustio v. Fabri. ad Iug. 14. 7. Rarissima sunt appellativorum exempla, velut aurum argentum et aes Liv. XXVI, 36. Quamobrem si apud Ciceronem legitur: quid intersit inter popularem i. e. assentatorem et levem civem et inter constantem, severum et gravem Lael. 25. 95. si recte notionum ἀριθμητα consideraveris, non a consuetudine et elegantia eum aberrasse intelliges, qui, ut assensionem et levitatem popularis hominis, ita severitatem et gravitatem constantis esse dixerit. In propriis nominibus, ut supra demonstravimus, res magis ambigua est: uncis particulam copulativam inclusit Orellius, servavit Schoemannus: sed si perpenderis, quae in apparatu critico ille contulit, polysyndeton potius scripsisse Ciceronem, quam asyndeton censes. Nam quod paucis versibus infra legitur Ialysi Camiri et Lindi, nihil habet momenti, quia totum locum corruptum esse appetat.

Proxime ad libros de natura deorum accedunt duo de divinatione volumina, quae non inhabilem post Hottingerum et Moserum invenere explicatorem Gieseum: in ceteris rebus satis acutum illum quidem et prudentem, versuum tamen et numerorum imperitissimum. Atque legenti mihi et cogitanti haec fere in mentem venerunt. De div. I, 3. §. 5.: e quibus, ut de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes, unus qui deos esse dicaret, divinationem funditus sustulit. Vertit Hottingerus: es war unter allen denen, welche die Existenz der Götter behaupteten, Xenophanes von C. der einzige, welcher die Wirklichkeit der Divination schlechtweg leugnete. Itaque aut alia legisse eum appetat atque ea sunt, quae nunc leguntur, aut ad suam sententiam accommodasse, quae parum recte scripta esse existimaverit. Nec Gieseus, quid senserit Cicero, attigisse videtur. Ego si quid video,

sic distinguenda sunt verba Coloph. Xen. unus, qui deos esse diceret, div. f. s. Op-ponitur postea Epicurus, quem de natura deorum balbutisse ait i.e. incertissimum fuisse, utrum essent necne. Pluralem deos quin Cicero scripserit, equidem non dubito, quum hoc quidem loco nihil attineat, utrum unum an plures esse crediderit deos. Sed alteram quoque et posse inesse et inesse sententiam ego existim: nonne enim mirum est, si quis deos esse dicat, divinationem neget? Quae quum ita sint, equidem locum sic verto: „Von den aeltesten Philosophen war X. der einzige, der, obgleich er die Existenz der Goetter behauptete, doch von der Divination durchaus nichts wissen wollte.“ Idem Orellium sensisse crederem, nisi post Xénophanis nomen et ipse nota orationem distinxisset. — Sequitur versus Attii I, 22. pérpropinquam: haec béne verruncent pôpulo; nam quod ad déxteram Coépit cursum ab laéva signum. — Nihil adnotavit Orellius, Gieseus audacter nam quod ad pro dactylo habendum dicit. Quod quum ferri posse nemo non videat, praepositio, ut quae male ab aliquo addita sit, delenda videtur: sed scripserit poeta dexteram an dextera an dexterum (sequitur eursum), diiudicari non posse liquet, nisi quod aliunde argumentum accesserit. Mihi poetæ stilo dignissimum, quod postremum posui, si fas est divinare, videtur. —

Transeo ad Attianos versus I, 31. §. 66. Atque in primo quidem et altero God. Hermannus (ap. Orell. p. 218.) ita operae pretium fecit, ut emendatrice non iam manu egeant. In sexto versu, quod vulgo legitur Vírgines veró aequales pátri' mei —, olim quidem tolerabile videbatur, sed ex quo paene divina Ritschelii opera meliora edocti sumus, hanc facile quisquam ferat. Perdidit nimirum operam idem ille Hermannus, idque dupliciter, qui primum proposuit Vírginés vero aéqualés patris mei —, postea Vírg'nes véro aéqualés patr' mei, in quo illud quidem vir acutissimi ingenii perspexit, foedos accentus aéqualés vocabuli ferri non posse, sensu ille quidem ductus naturali quodam, non certo praecepto. Atque in Plautinis versibus si quis consideraverit, quanta vel sine codicum auctoritate Ritschelius mutaverit, atque ita mutaverit, ut non Ritschelianum sed vere Plautinum Plautum legere nobis videamur, is sane leni usum me esse medicina confitebitur, non urentem et secantem, sed ita transponentem: Vírgines aéqualés vero, pátri' mei meum factum pudet. Difficilior est sententiae explicatio. Ciceronem ipsum erroris convincebat Bothius p. 275. (Poet. scen. V.) „meorum factorum interpretatur Cic. Orat. 46., sed fallitur.“ Non mehecula est lapsus, miramque Bothii temeritatem recte Orellius castigavit. Quod vero hic proposuit „virgines, aequales meae, (ut vocativus sit) pudet me patris mei, optumi viri, propter mea facta“, quamquam de duplice genitivo non repugno, tamen habet, quod displiceat, propterea quod cum Hecuba matré Cassandrae esse diverbiū apparet. Evidem virgines patris mei aequales filias Priami πολυτέκνου γέροντος vocari arbitor (nisi forte Troades ipsae virgines Priami appellari possunt), aptissimamque eam sententiam esse: ego ab Apolline missa sum, ut vera vaticiner; at miserae mihi non creditur, potius aequales meas, filias Priami optumi viri (eoque magis miserandi) pudet eorum, quae ego facio. — In iis, qui sequuntur, versibus, qui non sunt iambici, ut voluit Bothius l. c. p. 276., sed trochaici, Turnebus mihi verum invenisse videtur Ah, adest fax obvoluta. Quod editum est ádest, adést fax nullo modo defendi potest, etsi posse olim Hermannus putabat (Orell. p. 218.).

Accedamus ad Enniana quae leguntur cap. 48. Heroicis versibus Ennius geminorum illorum de Roma condenda regnoque occupando certamen exponit. Et in duodecim primis quidem non habeo quod reprehendam, Orellii editionem intuens, non Giese, cuius, ut ante dixi, in hoc genere nulla est auctoritas: sed, qui supersunt octo, in his haud pauca esse censeo, quae aliter a poeta scripta esse videantur. Hoc enim, nisi fallor, dicit, priori Remo unam aquilam (de sex vulturibus v. Liv. I, 7. quae vulgo fama ferebatur) visam esse, deinde Romulo duodecim. Iam poeta ita rem enarrasse mihi videtur, ut ante ortum solis unam avem apparuisse dicat, cum ortu solis, quod erat faustissimum certe augurium, duodecim visas esse.

Praeterea quomodo, quaeso, heroicus versus ab anapaesto ordiri potest avium? Verum monstrare potuit Gell. VI, 6. quem plane caecus Hottingerus memoria lapsum esse contendit, ego legisse puto, quae poeta scripserat. Quamobrem quinque versus ita refingo: Exin candida se radiis dedit icta foras lux, Et simul ex alto longe pulcherrima praepes Laeva volavit avis. Simul aureus exoritur sol, Cedunt de coelo ter quattuor*) corpora sancta, Praepetibusque hilares sese pulchrisque locis dant. Corpora sancta aliquis interpretatus est avium. Praepetibus pulchrisque locis tertius est casus, idem diceretur in vel ad praepositionibus.

Sed de versibus hactenus: ad Ciceronem redeo. Qui ubi Democriteas imagines dormientibus obrepentes perstringit (II, 67. §. 139.) sic scripsisse existimatur: nec cognovi quemquam, qui, maiore auctoritate, nihil diceret. Comparativam, quae vocatur, desideramus particulam; neque enim id dicturus est, neminem se cognosse in philosophia egregium, qui halucinatus sit, sed illud, credo, neminem se scire maioris auctoritatis, qualis fuerit Democritus, qui tantopere delirarit. Quid ergo? nonne legendum qui, maiore auctoritate, tam nihil diceret? Nempe facillime binarum literarum vacula (nam tertia lineola indicabatur) antecedentis vocabuli consimili exitu potuit ἀφανίζεσθαι.

Nec paulo supra §. 136. quae leguntur, omni ex parte sana esse reor: de nostris somniis quid habemus dicere? tu de merso me, et equo ad ripam? Sic Orellius, melius Gieseus sublata distinguendi nota. Quin certissima est Davisii conjectura de emerso me et equo ad ripam, ut iungantur emerso ad ripam. Nam I, §. 58. ita res narratur: tum te (M. Ciceronem intellige) repente laetum extitisse eodemque equo adversum adscendisse ripam. Omnis tollitur dubitatio, si ea consideres, quae infra leguntur II, 68. §. 140. subito sum visus emersus e flamine. Quod autem illum locum, qui a Davisio personatus mihi videtur, ita distinxit Orellius, ut equitem ab equo seiungat, nihil habeo dicere, nisi hoc, quandoque bonum dormitare Homerum.

Restat unus locus, non tam conjectura tentandus, quam aliorum exemplo tutandus. Namque II, 68. haec leguntur: potest omnino hoc (somnium) esse falsum, potest verum: sed, utrum sit, non est mirabile. Olim pro utrum sit scribendum censebam ut verum sit: videbatur enim mihi hoc dici: si falsum fictumque est somnium, nihil attinet explicare, unde factum sit, ut Alexander ita somniaret; sed fac verum esse, tamen non est quod miremur ita evenisse. Quae conjectura quamvis probabilis videatur, tamen nunc non dubito quin ea abstinendum sit. Plane enim est consimile, quod legitur pro Sest. 42. horum utro uti nolimus, altero est utendum; quem locum sane mirabiliter Freundius in Lex. (qui quo propius ad finem opus perdixit, eo minus studii ac diligentiae videtur adhibuisse) iis adnumeravit, qui indirecta, quae dicitur, interrogatione continentur. Imo in eo censendus est numero, qui simplicia pronomina pro duplicatis amplificata notione usurpata esse demonstrat. Sed tamen unum est illud e Sestiana, quod coniunctivum habent: quem modum si in aliis adhibuit (v. Schellerum in Lex.), sua cuique fuit causa. Accedit Vitruvii auctoritas non contenenda, qui praef. 7. quorum utrum ei acciderit, merenti digna constitit poena.

Haec habui, quae in libris de nat. deorum et de divin. reprehenderem. Addantur quaedam ex alijs Ciceronis de philosophia libris et ex orationibus.

Lael. §. 53. legitur: quod Tarquinium dixisse ferunt, tum exulantem se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, cum iam neutris gratiam referre posset. Imo exulantem illud exulare iubeamus et facile patiamur, praesertim quum a legentibus modo exulum, modo exulantem, modo cum esset exul adscriptum esse inveniamus, ut interpretabi*) bisyll. est v. Bitsch. praef. ad Trin. p. CLXIV.

tamenti nulla sit dubitatio. Quae a Gernhardo ad defendendam temporalis particulae cum participio consociationem prolatæ sunt, plane dissimilia esse vel obiter intuenti appetet.

Tusc. IV, 36. ira, quæ quamdiu perturbat animum, dubitationem insaniam non habet —, cuius impulsu cet. In verbis nihil habeo, quod reprehendam: unum me pungit, quod Kuehnerus Wolfii auctoritatem secutus non plenam esse orationem contendit signoque ἀραχολογίας praecedit. Sed numquis est, qui ita sensisse Ciceronem censeat: ira, quæ tamdiu sine dubio pro insania habenda est, quamdiu perturbat animum? Imo hoc volunt, non dubitari posse, quin ira sit insania. Sequitur, ut relativum illud enunciatum parenthesis signis a ceteris intercludendum et quam particula admirationem quandam significare putanda sit: de qua re si quis dubitat, Handium adeat: sane quam, nimis quam, admodum quam, et solam particulam adminiculis istis destitutam, omnia satis multis exemplis inveniet comprobata. Cic. Verr. IV, 25. sunt vestrum, indices, quam multi, qui Pisonem cognoverunt. Terent. Andr. I, 1. 109. reiecit se in eum quam familiariter. Quae cum ita sint, Ciceronis verba ita vero: „Der Zorn (wie lange kann er den Geist verwirren!) ist ohne Zweifel ein Wahnsinn: er treibt Brüder zum Zank“ —. Quocum si Kernii conferas interpretationem: „Was sag' ich vom Zorn? denn so lange diese Leidenschaft den Geist verwirrt, laesst sie keinen Zweifel an ihrer Sinnlosigkeit uebrig. Sie ist die Triebfeder, dass auch unter Brüdern Zank sich erhebt“, utrum magis placeat, facile dijudicabis. Accedit, quod paulo post legimus: quid est enim, quo non progrediatur eodem ira, quo furor? Qui locus quomodo esset emendandus, magnus olim Bentleius docuerat sic tentans: quid est enim, quo non progrediatur ira? eo demum, quo furor. Acu rem tetigerit, qui legerit eodem, quo furor. Quum enim de ira disputare inciperet, non multum eam ab insania abesse dixit: cuius rei probandæ causa adhibitis iratorum fratribus exemplis Atrei et Thyestæ, eodem progredi posse iram demonstrat, quo furorem i. e. insaniam.

Ex orationibus tres notavi locos, qui nondum emendati mibi videantur. Verrin. V, 50. §. 131. sic editum est: praefuisse classi populi Romani Siculum, perpetuo sociis atque amicis Syracusanum. Ernesto iure perpetuo illud ita displicuit, ut uncis segregaret, quod Zumptium non fecisse miror. Legendum est præpositum, nec dubito, quin, qui Verrinas edere postea suscipiat, hac conjectura sit usurus. Nec minus mihi dubium est de loco pro Deiot. 13., quem sane incertum in recentissima grammaticæ editione §. 507. b. Zumptius iudicavit. Namque iussus esset coniunctivus minime ad posteaquam coniunctionem referendus est, verum ad quum particulam, quæ nisi sic accipitur, plane ἀραχολογίας haeret. Legendum igitur: etenim, si Antiochus —, quum, posteaquam a Scipione devictus est, Tauro tenuis regnare iussus esset omnemque hanc Asiam amisisset, dicere est solitus —. Exstitit error inde, quod antiquitus scriptum fuit devictus (v. Ritsch. in iis, quæ ad Trinummum præfatus est p. CVII.) t̄ vero consona sequente Tauro vocabulo intercidit. Minus certa est res de loco a multis multum vexato in Catil. III, 11. eademque diem intelligo, quam (i. e. cuius memoriam) spero aeternam fore, et ad salutem urbis et ad memoriam consulatus mei propagatam esse. Nisi quis sibi persuadet, illud esse similiter dictum: pro Sest. 48. haec fama celebrantur, posteritati propagantur, vel Cat. II, 5. meus consulatus multa saecula propagarit reipublicae. Mibi diversa haec esse sentient occurrit propagandam datam esse, a diis immortalibus intellige vel a fortuna. Fortasse enim eo labem traxit oratio, quod datum participium per compendium scriptum antecedentis syllabæ similitudine expunctum est: quod quum factum esset nec gerundivum ferri posse appareret, mutatio est facta. Quod ego proposui, facillimum est intellectu, et memoriam propagare et Plinii auctoritate defendit (XV, 14. 15.) et vero similius vocabulorum analogia, vitam, tempus propagare.

Ciceronem quis potius sequatur, quam militari laude superior, doctrinae gloria haud impar C. Julius? Qui in comm. de bell. civ. I, 34. utrum ad occupandum an ad occupandam

Massiliam scripsit, maior est controversia, quam vulgo putatur. Ellendius quidem ad Cic. Brut. 16. 62. Ciceroni plane talia abiudicat „gerundiorum accusativus cum obiecto non ponitur apud Ciceronem, nisi concinnitatis gratia.“ Utinam concinnitatis illius vel suum exempli causa vel Ciceronis protulisset documentum. Nec luculentius Heldius, prudentissimus editor (recentissimam editionem inspicere non potui), ad illum Caesaris locum: „Die Lesart der meisten Hdschr. ist occupandum, und wahrsch. richtig; die Verbindung des unveraenderten Acc. Gerund. mit neben stehendem Objets-Accus. findet sich, wie ueberhaupt, so bei Caesar an keiner sichern Stelle.“ Quod si verum esset, ne nos quidem cramben repetere conati essemus. At fugit et grammaticorum curam et editorum diligentiam unus locus, qui nulla lectionis varietate notata mihi certissimus videtur, bell. g. I, 38. Ariovistum ad occupandum Vesontionem, quod est oppidum Sequanorum, contendere. An serio aliquis contendat, Caesarem ad insequens neutrius generis vocabulum gerundivum accommodasse? Qui etsi bell. civ. II. 19. edidit: Carmonenses, quae est civitas, cohortes eiecit portasque praeclusit, haec tamen negligentia unde habeat veniam, satis appareat. Atque Vesontionis oppidi nomen Freundius in Lex. feminino generi tribuit, quod utrum aliquo testimonio motus an universo de nominibus urbium praecepto ductus scripsit, nescio. Quo certo, ut videtur, documento nixus saepius, quam adhuc creditum sit, de archaismo illo vel optimos scriptores sibi indulssisse reor: quoniam ne ab aliis quidem vetustioris orationis formulis abhoruerunt. Sed quamquam ad liquidum rem perduci posse propter codicum inconstantiam desperandum est, tamen quoniam haec licentia progressa esse possit, quaerere non supervacaneum videtur. Ac primum quidem pronomina et neutra liberiore quadam conditione usavidentur: certus est enim Ciceronis locus Cat. M. 2. 6. via, quam nobis ingrediendum sit, nec minus dubitatione carens Quint. IV, 5. 17. omnia credit audendum. De substantiis hanc legem cum veri similitudine statui posse arbitror, antecedens gerundium ferri posse, si librorum auctoritate defendatur, si postpositum sit, gerundivo utique mutandum esse. Itaque si codicibus niteretur ad illustrandum nobilitatem suam, quod in uno Victorii libro legitur Cic. Brut. 16. non reiiciendum esset; neque, quod in fr. pro Scauro 13. legitur obliviscendum vobis putatis sclera, quisquam impugnavit. Nec iniuria Drak. ad Sil. X.V, 105. Caesaris loco b. g. III, 14. statuit exspectandum classem patronus exstitit. Accedunt, quae sane controversa sunt, Liviana: nec praetermittendum spem ullam censuisset XLII, 43. et ad depopulandum Celtiberiam XL, 49. denique ad aedificandum rem publicam Cic. ad Fam. IX, 2. Sed quod in Miloniana legitur 19. noctem prope urbem exspectandum, prorsus damnandum est.

Restant tres ex Caesaris Comm. de bello civili loci. I, 18. mittit eo M. Antonium cum legionis octavae cohortibus quinque; ubi Heldius: „Es muss entweder hier, oder weiter unten (eo triduo legio octava ad eum venit) octava falsche Lesart sein.“ Profecto hoc vel somnians aliquis videre poterat, itemque est facile intellectu, VIII. et XIII. numeros tanta esse similitudine ut vix fieri posset quin confunderentur, tamen, qui ad ea recesserit, quae cap. 12. narrata sunt (cohortes legionis XIII ex praesidiis ducit), non dubitabit, quin superiore cap. 18. loco XIII. inferiore VIII. legendum sit. — II, 18. complures praeterea in Hispali faciendas curavit. Ad quem locum Heldius: „Caesar setzt zwar sonst zu Staedtenamen haeufig die Praep. a, ex, ad, aber in mit dem Abl. steht nur an dieser Stelle, ist jedoch von allen Handschriften anerkannt.“ Quid postea? unum, opinor, appareat, si vitium commissum sit, ultra codicum nostrorum memoriam pertinere. Ecce vero Ciceronis testimonium ad Attic. VIII, 3. 6. navis et in Caieta est parata nobis et Brundusii. Mirabilia narrat Kruegerus gr. lat. §. 387. 3. portum oppidi dici, non oppidum ipsum. Ego nec Ciceronem, nec Caesarem illa scripsisse iudico, nec duabus integerrimorum scriptorum exemplis certam dicendi consuetudinem sublatam esse. Quamquam quid Cicero ediderit, non expedio,

nisi hoc video, Caietae extremam vocalem ita esse insequentis vocabuli exordio absumptam, ut Caietae est initio scriptum esset. Caesar, nisi fallor, scripsit: complures praeterea navis Hispali faciendas curavit, ut eius, quod inserui vocabuli altera syllaba vicinae similitudine evanuisse videatur. — Denique III, 46. crates directae longuirique obiecti, quod etsi Heli- dius interpretari studet „der Laenge nach ueber den Weg hingestreckt“, tamen vide ne ad sententiam loci aptius sit directae, quod, si unius codicis auctoritas addicat, ego praeferendum censeam.

Sequitur tertium latinitatis lumen T. Livius, cuius ingentis vere operis reliquis elegan- tissimus nuper exstitit enarrator, sano qui iudicio, quae in libris legerentur, expendit, et ne cui opus esset silvas illas Drakenborchianas perrepere, luculenta brevitate prospexit, Fr. Al- schefskius: quem unum dolendum est nondum ad finem opus perduxisse.

Incipiamus a loco VI, 19. tum tribuni consulari potestate tribunique plebi (nam et, quia eundem et suae potestatis, quem libertatis omnium, finem cernebant, patrum auctoritati se dediderant) ii tum omnes, quid opus facto sit, consultant. In iis, quae parenthesis loco orationi inserta sunt, post voculam copulativam pronomen quoddam demonstrativum, in quo pondus sit ac momentum, desideratur. Quamobrem non dubito, quin inversis aliquot vocabulis ita edendum sit: plebi (nam et ii tum omnes, quia — dediderant), quid opus facto sit, consultant. Omnes addidit, ne quis maiorem tantum partem tribunorum, quod fieri con- sueverat, idem sensisse opinaretur.

Tum VIII, 37. ut in Tusculanos animadverteretur, quorum eorum ope ac consilio Ve- linterni populo Romano bellum fecissent. Pronominum illa coniunctio plane barbara est nec iis, quibus Alschi. succurrere voluit, defenditur, quia hic is, hic ille omnia sunt demonstrativa. Nec Gronovius audiendus est, qui, si eorum esset partitivus, qui dicitur, genitivus, aliquid dixisset, sed recte iam a Dukero est reprehensus. Itaque recipiendum erat aut quod eorum, id quod in nonnullis est libris, aut, quod mihi ad vulgatam lectionem proprius acce- dere videtur, quonia m eorum.

XXV, 3. sitella allata est, ut sortirentur, uti (i. e. quo ordine) laturi suffragia fer- rent. Laturi iam Strothius felicissime reposit, in libris latini legebatur; sed ne ferrent quidem tolerabile est, legendum forent. Ita XXXVII, 15. utrum abcessuri forent X, 14. qua bellum venturum foret. XXVI, 26. nedum respirare civitatem forent pas- suri. XXXVII, 10. quas obiecturus certamini foret. XXIII, 43. quae captae urbi ces- sura forent, et quae praeterea ex Livianis voluminibus concessit Fabri. ad XXII, 57. qui- bus addere licet Sal. Iug. 109. agitatus foret. Nep. Dion. 8. quod inimici suos sensus aperturi forent. Tull. Tiro ap. Gell. X, 1. quum Pompeius aedem Victoriae dedicatu- rus foret.

XXV, 35. extremo capite haec leguntur: consistere cooperunt ac tutari agmen, quantum possent: tamen, tuto ut simul pugnarent procederentque, Scipio hortabatur. Ut verba sunt Livii, ita perperam ab editoribus sunt distincta; nam possent coniunctivus non habet, quo referatur. Legendum: ac tutari agmen: quantum possent tamen —.

XXVII, 8. causam inaugurarri coacti flaminis libens reticuisse, ni ex mala fama in bonam vertisset. Legendum: eo mala fama i. e. nisi eo, quod inaugurarri coactus est, mala eius fama in bonam vertisset: quemadmodum II, 3. libertatem aliorum in suam vertisse ser- vitutem conquerebantur.

XXVIII, 16. non tam evidenti eo tempore subitae mutationis causa, quam docu- mento post id tempus constantissimae ad ultimam senectam fidei. Omnia sunt sana, verum interpres mira narraverunt: tu adiectivum cum utroque ablativo iunge et fidei genitivum intellige, qui vocatur, epexegeticum esse: die Ursache der ploetzlichen Veraenderung war da-

mals nicht deutlich, doch deutlich bewies die nachherige feste Treue, dass er auch damals nicht ohne triftigen Grund gehandelt habe.

XXX, 6. elephanti sex capti, octo flamma ferroque absumpti, magna vis armorum capta. Ea omnia imperator Vulcano sacra incendit. Haec ita distinguenda: elephanti — absumpti: magna — capta, ea — incendit.

XXX, 44. nae esse in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis. Notissimum est illud de nae particula praeceptum, nisi pronomine subsequente non dici, dudumque illud Terentianum faciunt nae intelligendo. (Andr. prol. 17.) sublatum est. In Livio minus elaboratum: sed omnino sunt haec vitia secunda. Et hoc quidem loco Livius Hannibalem haec facit dicentem: ne esse in vos odio vestro (i. e. vestri) consultum ab Romanis credatis h. e. nolite credere, homines tenacissimi aeris iidemque stultissimi, in vos, quibus ingens stipendum imperatum sit, graviter consultum esse ab Romanis, quia odiosi sitis: potius Romanorum consilia eiusmodi sunt, ut, etsi nihil de magnitudine imperii demant, tamen universae reip. ruina non iam vitari possit. XXVI, 31. nae magis reip. interest, quam mea, Gronovium recte emendasse censeo. Nec XXXIV, 4. iis ausculto, qui ediderunt; nae simul pudere, quod non oportet, coeperit, quod oportet, non pudebit. Legendum: nae eas simul; quod quomodo invenerim, iis qui literas inserto pronomini confines intuti erunt, satis apparet.

XXXVI, 22. Aetolos, si poenitere possint, posse et incolumes esse. Legendum: possit; quamquam enim et pudens participium et poenitendum, pudendus, pigendus adiectiva facta nec Livio ignota, satis demonstrant, impersonalia illa subiectum aliquando potuisse habere, tamen vix ad Plautum ista consuetudo descendit, qui Stich. I, 1. 50. haec conditis poenitet; v. Krebs. Antib. p. 604. Mansisse tamen in pronominibus liberiorem usum arbitror, ut quod poenitere possit, quod poenitere fuit necesse Ciceroniana (v. Lex.) non quartum, sed rectum habere casum videantur, etsi Zumptio in Gr. §. 442. secus videtur; sed plurali numero rarissime usi sunt, Terentius haec pudent, Lucanus saeva pudebunt; poenitebunt vero, pudeo, poenitere coeperunt et quae sunt similia ad homines ipsos relata aut summae sunt antiquitatis (Pacuv. Plaut.), aut cadentis latinitatis (Iustin.), sed apud Ciceronem, Caesarem, Livium plane inaudita. Exempla a Fabro allata ad XXII, 12. 10. diversissima sunt. Unum quod hic pertinere possit: certaminum momenta assuefaciebant militem minus poenitere virtutis suae, in hoc accusativus et ad assuefaciendi et ad poenitendi verbum est referendus.

XXXVIII, 1. ubi ea dies advenit et Amynander cum mille Aetolis in finibus erat, ex composito quattuor simul locis praesidia Macedonum expulsa, literaeque in alias urbes passim dimissae, ut vindicarent sese ab impotenti dominatione Philippi et restituerent in patrium ac legitimum regnum. Dukerus quae adnotavit, qui perlegerit, non poterit facere quin probet; unum forsitan molestum sit, quod pronomen deest ad Amynandrum referendum: quod nisi fallor post patrium vocabulum literarum similitudine haustum est, legendumque in patrium eum ac legitimum regnum.

XXXIX, 7. in triumpho tulit Manlius coronas aureas ducentas duodecim pondo, argenti pondo ducenta viginti milia, auri pondo duo milia centum tres (sic). Clareanus, cui consentit Drak., non coronarum numerum a Livio referri ait, sed earum pondus, quamobrem aut ducenta scribendum esse, aut intelligendum esse libras accusativum. In qua re et quam vehementer uterque erraverit, et quomodo locus corrigendus sit, exemplorum non exiguis numerus demonstrat. XXXIX, 29. tulit coronas aureas quinquaginta duas, auri praeterea pondo centum triginta duo, argenti sedecim milia trecenta. Eiusd. l. cap. 42. coronas aureas tulit octoginta tres et duodecim milia pondo argenti. XL, 34. transtulit coronas aureas quinque et viginti: nec praeterea quidquam auri argenteique in eo triumpho latum.

XL, 43. tulit in triumpho coronas aureas centum viginti quattuor, praeterea auri pondo triginta unum et signati Oscensis (argenti) —. Quid igitur certius, quam ex tribus istis pondo primum male esse ex posterioribus adscitum legendumque esse: coronas aureas ducentas duodecim, argenti pondo —. Unus repugnare videatur locus **XL,** 16. extr. translatum argenti pondo novem milia trecenta viginti, auri octoginta pondo, et duae coronae aureae pondo sexaginta septem. At ne haec quidem sana esse nec ego censeo, nec olim Drak. censuit, qui recte octoginta duo pondo et coronae scribi iubet, perfectissetque curationem, si pondo illud extremum resecuisset, perperam ab aliquo ex superioribus repetitum et adscriptum.

XXXIX, 44. in censem referre viatores iussi. A Kreyssigio sine ulla dubitatione verum receptum est iuratores. Plaut. Trin. 879. census quom sum, iuratori recte rationem dedi. Id. Poen. prol. 56. argumentum hoc hic censebitur, vos iuratores estis. Heusingerus, quod nihil est, curatores coniecit: qui quam prope a vero abfuerit, mirari licet; ipse enim in sex libris iuratores legi adscriptis.

XL, 44. de pecunia finitur. Nonne finitum?

XL, 47. si non impetrassent, tum separatim eos ab illis se consulturos. Legendum: separatim sese ab illis esse consulturos. Heusingerus, qui corruptae lectionis patrocinium suscepit, semper legatos popularium suorum personam tueri non cogitavit. Quod Drakenborchii visum est: separatim sibi ab illis se consulturos, ferri illud quidem potest, sed parum simile est sibi literis eos pronominis. Postea quod reponi iussi esse, quomodo depravari et decurtari potuerit, facile perspicitur.

XLI, 8. et distractos passim iustis quondam hostibus populi Romani pacatis servire. Acutissime olim Heusingerus ante pacatis vocabulum excidisse indagavit, sed tamen vestigiis parum cognitis in errorem inductus est, quippe qui in extrema antecedentis nominis syllaba *vix* particulam delitusse arbitraretur: male enim librarium p. rui, x consona obliterata, populi Romani legisse. Mihi persuasum est, in eo libro, unde haec manarunt^{*)}), sic fere fuisse: pop. r̄nc, i. e. populi Romani, nunc pacatis: ut, etsi verae lectionis ignarum hominem acerrimi iudicii ipsa necessitas quaedam recte vertere coegerit: „als die Verschleppten steckten sie ietzt allenthalben bei ehemals erklaerten, ietzt beruhigten Feinden Roms in der Sklaverei.“

XLII, 10. annos sex post, quam voverat. Nihil interpretes, nihil grammatici: legendum: annis.

XLII, 19. ut Cn. Sicinius praetor aedes instructas locaret. Edendum esse: instruendas, non opus est pluribus demonstrare.

XLII, 63. Initium capit is valde interpretes vexavit; ego neque corruptum esse quidquam censeo, neque lacunam, quam Heusingerus explere conatus est, explendam fuisse. Ita enim vertendum est: Denn nicht nur die, welche auf Seiten der Maced. waren, hoerten diese Nachricht gern, sondern ueberhaupt die grosse Mehrzahl, obgleich sie den Roemern durch grosse Wohlthaten verpflichtet waren (einige freilich waren von ihnen auch gewaltthaetig und hochmuethig behandelt worden), aus keinem andern Grunde, als wegen der verkehrten Neigung, die das gewoehnliche Volk auch bei Schauspielen zeigt, indem es die schlechtere und schwaechere Partei beguenstigt. Superest ut Drakenborchii argumenta, quae rem confidere Heusingerus narrat, refellam. Primum enim non universo Livium populo Romano vitio versurum fuisse ait, quod singuli praetores commisissent. Quod quidem admodum infirmum mihi vi-

^{*)} Extremorum quinque, qui aetatem tulerunt, Livii librorum unum tantum codicem superesse moneo. v. Kreyssig. Adn. ad Liv. XLI—XLV. Meissen 1840.

detur: ecqueae enim extera natio, quae a praetore populi Romani male vexatur ac premitur, non recte illum populum accenset, qui talem sibi hominem praeesse iusserit? Accedit quod illo iam tempore praetorum crudelitates et importunitates vix tolerabiles fuisse libri XLIII, testimoniis docemur. Alterum est argumentum, si odium in Romanos instum fuerit, iram illam et similitatem non pravum studium potuisse appellari. Sane urgente veritatis pendere Livius concessisse putandus est, Romanos ipsos quodammodo in culpa fuisse: sed pravum illud studium non ad eos referendum est, qui praetorum Romanorum iniuriis exacerbati erant, verum ad eos, quos beneficiis populi Romani obstrictos fuisse dixit. Postremo Drakenborchius negat, Livium scribere potuisse: deteriori favebant. At plane est perspicuum et deteriori dici regis Persei causam, meliorem Romanorum, et infirmorem eum, quem inferiorem fore homines suspicarentur. Itaque si illud enunciatum quidam vim superbiā quā (Romanorum, non regis, ut edidit Weissenb.) experti parenthesin esse iusseris, nihil erit profecto, quod desideretur.

XLV, 4. quum literas ab rege Perseo per ignobiles tres legatos cerneret. Participium quoddam intercidisse iam Muretus et Crevierius intellexerunt, quibus iure suo accedit Drak, sed utrum missas an allatas inserendum sit, incerti haerent. Mihi, utrum sit verum, antecedens vocabulum intuenti non iam est dubium. Legendum: allatas cerneret. Denique XLV, 44. Mire laetum et ea benignitate in se populi Romani regem fuisse, munera sibi ipsi renuisse (sic praecclare Gronovius, quum in cod. sit ipsum emisse, multo dexterius Kreysigius ipsi emi non sissee). Ut persanetur locus, initium restituendum est. Nam quod Heusingerus vertit: Auch der Koenig soll —, et particula eo loco collocata quomodo ferri possit non video. Scribendum est: mire laetum cetera benignitate i.e. iis voluntatis et officii documentis, quae iam sibi data essent, contentum regem munera sibi renuisse.

In percensēdīs Livianorum voluminum reliquiis offendit me (CIII.) Sereni Sammonici versus: Horrendus magis est premit qui corpora carbo. Scribendum: perimit. Sed quoniam de historiae Romanæ auctore praestantissimo dictum est, sequatur scribendi laude haud impar Salustius, cuius etsi multa a recentioribus editoribus optime perspecta esse intelligi, unum locum deprehendi, qui adhuc omnium iudicia elusisse videatur, historiae Iugurthinae c. 108. neu Iugurthae legatum pertimesceret, quo res communis licentius gereretur: nam ab insidiis eius (Iugurthae) aliter caveri nequivisse. Atque Cortius nam particulam in suspicionem vocatam deleri iussit, quam verissimam medelam (certissimam curationem voluit) esse Kunhardus quoque existimavit. Fabro quam parum processerit in interpretando, item olim Gerlachio, qui legerint facile intelligent. Ego sic propone: neu Iugurthae legatum pertimesceret, quo res communis minus licenter gereretur. Inde, opinor, originem corruptio traxit, quod minus antecedentis vocabuli similitudine hauustum erat: quod simul atque latere coepit, quoniam comparativo utique opus esse intelligebatur, positivum mutaverunt. Cum his igitur fidum legatum Bocchus rex Sullae misit mandatis: ne pertimesceret, quod apud se Iugurthae legatus esset, qui impedimento esse posse videretur, quominus res communis (sibi et Sullae) licenter (libere) gereretur: eum enim legatum secum habere se coactum esse eique omnia benigne esse pollicitum (haec recte iam Cortius expedivit), quia aliter ab insidiis eius se tutari non potuisset: sed inde ne suspicatur Sulla, regem dolo malo secum esse acturum.

Et de historicis hactenus. Novo scriptore finem ponamus operi, qui etsi omnibus, quos adhuc tractavi, aliquanto aetate superior, nunc tamen denuo quasi lucem conspexisse videatur, T. Maccio Plauto. Etenim si Camerarium olim sospitatoris Plautini nomine decoraverunt, quo tandem nomine is celebrabitur, veram qui ad cognoscendam cum universae rei scenicae Romanorum vim et naturam tum Plautinorum versuum nitorem et elegantiam viam ingressus

ex altissimo luto incredibili ingenii acumine fabulas illas erexit? Qui etsi Bentleii et Hermanni praeclara divinatione nonnihil adiutus est et Ambrosiani libri quasi Ariadnaeo quodam filo per multiplices labyrinthi illius viarum errores ad lucem pervenit, tamen quid unus ille inquirendo, comparando, coniicendo effecerit, ii intelligent, qui Ritschelii editionem cum Lindemannianis Bothianisque fabulis composuerint. Atque ex Prolegomenis quasdam ego minutias enotaveram, quas edidisse, nisi iam ante Stichum editam multo diligentius collectas vidi sem. In Parergis unum inveni leve illud quidem sed tamen, quod non iniuria forsitan moneatur. Namque p. 165., ubi de duplicitibus fabularum inscriptionibus disputat, mirari se ait quod in latina fabula Ferentinas Psaltria connexiva particula omissa sit, de tota re Neukirchio diffisus: at minus, opinor, fidei eius succensuisset, si ille legere potuisset. Erat enim, nisi fallor, inscripta fabula Ferentina s. (i. e. sive) Psaltria. Nam si Casinus et Casinas, Casilinus et Casilinas ficta sunt gentilicia, si Statielli idem populus et Statiellates dictus est, Ferentinam et Ferentinatem eandem habeamus, praesertim quum Ferentinae Deae nomen sit notissimum. — In fabulis, quae adhuc sunt editae, pauca quaedam habeo, quae moneam. Trin. 274. ante Ritsch. legebatur eo mihi magis iubet cum probis potius, quam cum improbis vivere vanidicis. Creticos esse numeros ex superioribus versibus apparet. Itaque, ut solet, ubi a codicibus est destitutus, una ante potius interposuit. Ego si quid video, legendum est: quám viris cum improbis vivere vanidicis. Nam in D codice est improbis vin'cere, quod fortasse corruptum est ex viris vivere. Deinde Trin. 1052. quod edidit Ambrosiani libri vestigiis ductus, mage si exigere coepias (olim cupias) et sine libris scribendum erat ex Men. 960. neque pugnas neque ego lites coepio. — In Menaechmis unus est locus difficillimus 152.: oculum effodito persolum, quod monstrum scripturae quum ipse domare se nescire profiteatur, asterisco apposito damnavit. Et damnandum esse quis est quin intelligat. Persolus enim si unquam dictum fuit, certe macroporalecton est, neque ex ullo reliquae fabulae loco concluditur, luscum poetam finxisse parasitum. Quamquam quid tam ineptum, quin patronum invenerit? Velut huic quoque monstro exstitit Brixius, qui in Progr. Brieg. 1847. p. 4. ita causam egit, ut vigilans miracula narrasse videatur. Quae enim concessit, ne si vera essent quidem quidquam ad persolum illud difendendum valerent. Asin. II, 2. 67. mercatori Pellaeo etsi ego non expedio, tamen Ritschelium veriora nos doctorum certo scio. Most. III, 2, 72. ad eam rem facere vult novum gynaecum, legendum: gynaecum novum. Cas. IV, 3. 2. 8. tota scena Augiaeо quasi est obruta stercore, ut iterum Herculem illum appellandum censeam. Unum versum, quem in Parerg. p. 168. eruit, antecedere hic videtur: iam dudum mi inanitate (?) intestina murmurant; sequi autem hi: quasi ob industriam? quanto ego plus proprio, tanto illaē (non illa) minus. — Quid si occentem? — Censeo, et ego te adiutabo in nuptiis. Certe secundus huius scenae versus, quo usus est Brixius, in fine mutilus est. Sed ad monstrum illud ut redeam, mihi de ablativo quodam cogitanti in mentem venit: oculum effodito pessulo. Non equidem sum ignarus, apud eos, quos legimus, scriptores pessuli unum ad claudendas fores usum commemorari, tamen si, quod veri est simillimum, cum Graeco vocabulo πάσσαλος congruit, quod clavum significat vel μοχλόν, quali etiam Ulixes ille Homericus oculum effodiens monstrum domuit, non dubito, quin illa principalis fuerit pessuli notio. Usus est vocabulo Plaut. Aulul. I, 2. 25. — Alter est locus multo facilior v. 489. flagitium hominis, quod iterum legitur V, 1. 9. Hiatus tollendi causa et Fleckeisenus et Ritschelius tu pronomen inferserunt. Qui quamobrem non ordine inverso hominis flagitium scripserint, non video. Idem faciendum censeo Asin. II, 4. 67. Cas. III, 2. 22. versum ego expedire nequeo. — Reliqua sunt in fabulis nondum editis minuta quaedam, quorum si quid Ritschelio probabitur, operaе pretium fecisse videbor. Poen. prol. 85. altera quinquennis, altera quadrimula; quoniam qu literae positionem

non efficiunt, stare senarius non potest. Verum est: altera erat quadrimula, quod Bothium non vidisse miror. — Poen. V, 2. 108. pol istam rem vobis bene evenisse gaudeo. Imo: pol istam bene vobis rem evenisse gaudeo. — Pers. II, 2. 2. melius, quam qui docuisti. Scribendum: melius, quam tu, qui docuisti. — Cas. II, 3. 14. abi atque abstine manum. Quin verte ordinem: uxór mea meaque amoénitas, quid tu ágis? — Abi atque manum ábstine. — Most. V, 1. 19. quoius ego hic ludificabo. Legendum: quoius ego hodie hic ludificabo. — Capt. I, 1. 22. et Rud. argum. 1. Bothium recte emendasse censeo.

Dr. Lentz.

Errata.

- p. 4. v. 44. Livianus locus est XXVIII, 19. — p. 6. v. 4. leg. certe pro certi. — p. 7. v. 15. pro sōspiter leg. sospites. — p. 10. v. 24. pro eruptum leg. emptum. — ibid. v. 28. leg. exspectationem pro exputationem. — p. 14. v. 3. pro crudere leg. condere. — p. 16. v. 13. pro sim leg. sin. — p. 18. v. 37. pro habent leg. habeat. — p. 22. v. 23. pro conditis leg. conditio.